Antiquitates Britanno-Belgicae, praecipue Romanae ... tribus voll. comprehensae ; quorum I. De Belgio Britannico. II. De Geta Britannico. [Acc. ... de icuncula quondam M[agni] Regis Aelfredi dissertatio] III. De Julii Vitalis epitaphio [cum notis ... Hen. Dodwelli ... Quibus acc. ... ad cl. Goetzium, de Puteolana et Baiana inscriptionibus, epistola] : quibus acc. appendix / [William Musgrave].

Contributors

Musgrave, William, 1655?-1721.
Dodwelli, Hen.

Publication/Creation

Exeter : Vols. III and II, Farley [-P. Bishop] for P. Yeo. [Vols. I and IV, G. Bishop and sold by J. March, etc., 1711-1720 [vol. I, 1719]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/qx4ysm8h

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



38146 /B

vol 1

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30538014_0001

GUILH. MUSGRAVE,
Med. Doctor Oxoniensis, et
Regiæ Societatis utriusq; Socius.
MDCCXIIX.

87549

ANTIQUITATES BRITANNO-BELGICÆ, Præcipue ROMANÆ, Figuris illuſtratæ,

Tribus Voll. comprehenſæ;

QUORUM

I. De BELGIO BRITANNICO.

II. De GETA BRITANNICO.

III. De JULII VITALIS Epitaphio:

Quibus accedit APPENDIX.

AUCTORE

GUILH. MUSGRAVE, *BELGA*,

Reg. Societ. utriuſque *Socio.*

—*Veterum volvens Monumenta virorum.*

Virg.

ISCÆ DUNMONIORUM:

Typis GEO. BISHOP: Proſtant venales apud JOH. MARCH, Bibliopolam EXONIENSEM; GUIL. TAYLOR, & JOH. SPRINT, LONDINENSES. M. DCC. XIX.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Nobilissimo CÆSARI
Pio, Felici, Inclyto,

GEORGIO

Principi Walliæ

REGI DESIGNATO,

Syntagma hoc Antiquitatū
BRITANNO-BELGICARUM,

Ob egregia ILLIUS *in* Rempub: *merita,*

pro Pietate *posuit*

Auctor

PRÆFATIO Generalis.

OGITANTI mihi ſerioque perpendenti, quanta celeritate a Tempore, tamquam ab immani quodam Monſtro, hianti ore, cuncta fere ab Orbe condito devorentur; tanta ſcil. ut Virorum illuſtrium, & ab iis præclare actorum, forſan ne quidem milleſima pars hodie ſervetur, & memoria retineatur: hæc, inquam, animo perpendenti mihi viſum eſt, nihil honeſtius, nihil laudabilius, quam memoratu digna, ſive literis ea mandando,

ſive

ſive alia quavis arte, ab oblivione vindicando, tueri, & ex Monſtri faucibus eripere.

HOC autem eo laudabilius, ut ii, de quibus agitur, eorumque Acta fuerint præcellentiora: Hujuſce vero numeri cum ſint in Belgio *noſtro* Romanorum *multa, nimirum magnifica, populoque Orbis univerſi domino plane digna, & quidem in Natali noſtro Solo acta, ad ea celebranda commemorandaq; neſcio quo impulſu feror:*

Hic Amor, hæc Patria eſt.

HAC opinione fretus, Julii Vitalis *Epitaphium, quod* Aquis Solaribus *ante aliquot annos effoſſum, mihi ſeſe obtulerat, quam potui diligenter excuſſi, variaque de* Fabrica Bathonienſi, *de* LEG. XX.V.V. *de* Patria Cangorum, *de* Quadrivio, *&* Sepulcreto *ad* Aquas Solis *celebri* Romano, *ab aliis ſive prætermiſſa, ſeu jejune tradita, contexui, Annoque* MDCCXI. *publicavi: Huic Diſſertationi poſt quadriennium ſucceſſit altera, de* Geta Britannico, *quam ex Equeſtris Statuæ Fragmento, prope eandem Urbem nuper item effoſſo, nactus occaſionem, ſedulo compoſui: Plu-*

rima

rima sunt, quæ Getæ *Aug. hanc fuisse Statuam nervose arguant, ne dicam extra dubium ponant; quibus innixus argumentis, de* Geta, *præcipue de illius in* Australi Britannia *Gubernatione, (quo videlicet Imperatorem illum nimis obscurum, neque pro meritis celebratum, clariori luce perfunderem) quicquid occurreret, in medio posui.*

CUM Monumentorum hoc nobilissimorum par examinassem, animus erat ulterius progredi, & Belgii *nostri Chorographiam, primo lineatam, in æs incidere; Limites ejus, Fluvios, Urbes, Deos, Æstiva, Vias Militares, Populum, Mercaturam, aliaque in eo Monumenta, quo cœperam modo, describere. Hæc ad finem jam perducta in publicum tandem mittuntur, & ut Antiquitatum* Britanno-Belgicarum *hæc Volumen primum; ita de* Geta *Dissertatio, alterum; de* Julio Vitali, *tertium merito censeri potest: Hic enim est earum naturalis ordo.*

JUVANTE Deo, brevi sequetur ad hæc tria volumina Appendix. Hæc sunt de Belgio *nostro, quæ habui dicere.*

EQUIDEM post Clariss. Camdeni *in* Britannia *illustranda tam felicem industriam, supervacaneum habeatur,* Belgium *nostrum, cujus ille, cum Insulæ reliquo, auctor & fundus, iterato adgredi: At qui bonum illum in hoc studiorum genere Choragum, in nonnullis Hominem fuisse, & (quod multo magis adnotatu dignum) qui plurima nuper effossa in* Belgio *Monumenta,* Camdeno *penitus ignota, cum animo cogitaverit, hæc etiam suas mereri Commentationes, suaque luce donari oportere, (si modo Antiquitatis cultor religiosus sit) nequaquam inficiabitur. Ideoque mihi persuasum est, non tam actum a me agi, quam opus isthoc* Camdeni, *si non aliquanto correctius, & emendatius, at certe locupletius & auctius edi, mortales opinaturos.*

HAC ego materia, inque Terram, unde sum, amore ardenti & solicito instructus, opus arduum & impeditum, sed & jucundum exorsus, horis subsecivis, alias sæpe occupatus, opus, inquam, hoc Otii demum exegi; in eam spem & fiduciam adductus, cum e Terræ visceribus crebro eruantur apud Nos hujusmodi τὰ λείψανα, *non defuturos olim Commentatores, qui ex*

iis

iis absolutam tandem Belgii Britannici, *ne dicam Insulæ totius notitiam aliquando elucubraverint.*

HOSCE vero quod ad Libros attinet, Gratia Viris illis munificentissimis habenda est, qui eos Figuris, ære Cyprio incisis, benignissime ornavere: quorum in numero primas egit Vir Clariss. Rob. Eyre, *Eques Auratus, Juris* Anglorum *Municipalis Antistes, unus e* Banci *Regii Justitiariis, qui operis hujus & monitis hortator, & sumptibus adjutor fuit.*

*GRATES etiam merito persolvendæ sunt eruditione & humanitate Viro præcellenti D.*Isaaco Gilling; *qui cum aliena manu in chartis hisce publico parandis, uti necesse habuerim, opus hoc laboriosum, etiamsi rerum suarum satagens, ultro sustinuit, & scribundo adfuit.*

TE vero, Reynolde *optime, doctissime, carissime, tuosque labores, silentio præterire, nefas existimem; qui cum Ipse in populo* Iscæ *futuro, scil. Juventute nostra Literis informanda, sic, ut etiam* Mela *tuo adornando abunde verseris, Typographiæ tamen nostræ curam inter edendum has Antiquitates, habere non graveris.* AT-

ATQUE hæc, Amice Lector, de Patria, ſua cuique Parente, & Altrice; cui ortum, & incrementum; cui Carnem, Oſſa, Sanguinem, Spiritum, cui denique totos nos debemus. Cariſſimum mihi dulciſſimumque vel ejus nomen eſt. Pro Patria, ſi ei ſit profuturus, nemo bonus dubitat mortem oppetere. Unde Cicero *rectiſſime* [omnibus, qui *Patriam* conſervarint, adjuverint, auxerint, certum eſſe in cælo ac definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur.]

VALE, Lector, & laboribus hiſce noſtris utere, fruere. Scribebam ex S. S. Trinitatis Capella, MDCCXIX.

BELGIUM BRITANNICUM

IN QUO

Illius LIMITES, FLUVII, URBES, VIÆ MILITARES, POPULUS, LINGUA, DII, MONUMENTA, aliaque permulta clarius & uberius exponuntur.

AUCTORE

GUILH. MUSGRAVE, *BELGA*, *Reg. Societ.* utriusque *Socio.*

Præfixa est Dissertatio, De Britannia *quondam pene Insula.*

O Patria! O Divum Domus! Virg.

ISCÆ DUNMONIORUM:

Typis GEO. BISHOP: Prostant venales apud JOH. MARCH, Bibliopolam EXONIENSEM; GUIL. TAYLOR, & JOH. SPRINT, LONDINENSES. M. DCC. XIX.

Societati Regiæ

LONDINENSI

Artium & Disciplinarum Matri,

BELGIUM BRITANNICUM,

Pro Patria lucubratum;

Tamquam Columnam;

OB AUGMENTUM SCIENTIARUM,

Ex Voto posuit

Guilh. Musgrave,

BELGA.

Syllabus Capitum.

PRoœmium, a Pag. i. ad xxvi.

CAPUT Pag.

i. De *Belgii* noſtri *Limitibus* 1

ii. De *Fluviis* 16

iii. De *Diviſionibus* 32

iv. De *Urbibus* 36

v. De *Aquarum Calidarum* Urbe 56

vi. De *Romanis* Aqq. Calidarum *Monumentis* 68

vii. De *Viis*, in *Belgio*, *Militaribus* 73

viii. De *Inſulis*, *Belgio* noſtro, adjacentibus 81

ix. De *Belgii Populo* 89

x. De

x. De *Belgarum Lingua* 103
xi. De *Diis Belgicis* 108
xii. De *Penatibus*, apud *Devisas*, anno 1714, effossis 123
xiii. De *Belgarum Mercatura* 153
xiv. De *Camaleto*, aliisque in *Belgio Romanorum Æstivis* 172
xv. De *Colore Belgico* 178
xvi. De *Claudii Tropæo*, & duobus ejus *Nummis* 181
xvii. De *Urnis*, *Seria*, Rebusque aliis in *Belgio* dudum inventis 191
xviii. De *Arca Lapidea*, & *Munimento Sepulcrali* 195
xix. De *Andromache Britanno-Belgica* 212

Pro-

ERRATA sic omissa corrigantur. Pag. 30. lin. ult. lege *Ptolemæum*. Pag. 62. lin. 12. lege XVIIII. Post Tab. XIV, lege *pag.* 178. Post Tab. XV, lege *pag.* 212, in *Tabularum Dispositione*. Pag. 160. lin. ult. pro *Vol.* III. lege *Vol.* II.

PROŒMIUM,

DE

BRITANNIA

Quondam pene Insula.

CUM *Belgium* nostrum a *Britannico* adluitur Oceano, illo latere Insulæ hujus triquetræ, quod est ex adverso *Galliæ*; visum mihi fuit, priusquam id describere conarer, antiquam & diu agitatam movere quæstionem, de *Britanniæ* cum *Gallia* conjunctione, &, an

an revera umquam esset, exquirere, simulque quo dissolvi modo posset, exhibere.

PRIMUM igitur, posita Chersoneso *Britannica*, utrum *exedi potuerit* :

DEINDE, utrum *exesa fuerit*, edisseram.

DE priori propterea dicendum, quod a docto & magni nominis Viro, *Vossiorum* altero, strenue negatum sit, umquam, ubi hodie Fretum est, ibi quondam fuisse Chersonesum: & quidem ideo negatum, quoniam, illo sentiente, nihil in natura rerum ei deterendæ dividendæque par inveniatur. Ut *Taprobanam* (Insulam *Ceylon)* a vicina continente non avelli probet Vir Clariss. [*Otio* 1, inquit, *abundant, qui istiusmodi* Ægyptiorum *fabellis, jam millies productis, totiesque recoctis, aurem commodant. Quam constans & tenoris sui observans sit rerum natura, patet e Bosporis, omnibusque omnium terrarum Fretis. Iis cum præcipue Marium & ipsius Oceani vis semper incubuerit, eadem tamen ubique a tot annorum millibus & ab ipso,*

1 *In Notis ad* Melam.

ipſo, ut veriſimile eſt, rerum exordio, ſervaret intervalla. Currant licet, ac recurrant Undæ, allatrent undequaque Fluctus, fortius eſt Elementum quod reſiſtit, quam quod oppugnat. Exeſi Scopuli, ac vaſta maris antra, ſatis ubique oſtendunt, quantum Oceani impetus lapſu ſeculorum poſſit efficere: verum hæc ipſa quoque, quid non poſſit efficere Oceanus, multo clarius oſtendunt.]

Hæc *Iſaacus.*

UT diſputationem ea de re ingrediar, Vir hic Clariſſ. Naturæ, nec qua agit illa, nec qua patitur, ſtatum ac conditionem, ex omni parte, ſic, ut eſt revera, animo ſatis advertiſſe videtur. Cum non de *Taprobanæ* ſolum Freto commentatur, ſed de Fretis in univerſum, & quidem Argumento *a conſtante & tenoris ſui obſervante rerum natura* accepto, videamus quam hæc cum Oceanis & Freto noſtris conveniant, & in iis quam conſtanter agat Natura.

OCEANI *Britannici*, prout nunc dierum eſt, cum latitudo tum profunditas inveſtiganda, ut ex iis de priſco ſeu Freto, ſive Sinu, poſſimus ſententiam ferre. Ut autem eas comperiamus, adeunda eſt

Tabula *Halleiana*, ſui generis omnium accuratiſſima, ex juſſu Regis *Guilhelmi* ejus nominis Tertii conſtructa. Ea docemur, in Oceano *Britannico* ubi Terrarum hiatus, hac illac ampliſſimus eſt, a veterum *Ocrino* (*Lizard-Point*) ad Inſulam ei oppoſitam *Uſhant*, unum eſſe gradum cum ſemiſſe, id eſt, Leucas quaſi triginta, ſive milliaria 90. Hinc Oceanus ſe in oriente parum adducit, at multo magis ubi Promontorium in eum procurrit *Normannicum:* ibi enim eſt dimidio adductior; cum inter *Peverel-Point*, & *Cap de Hogue* e regione ſita, Leucarum *Anglicarum* quaſi 16 diſtantia ſit. Tunc ſe iterum effundit, ubi *Sequanam* recipit: at brevi in arctum agitur, inter *Beachy-Head* & *Cape St. Vallery*. Dein paulatim anguſtior, faſtigiat ſe molliter, uſque dum in Fretum contrahitur, inter *Neſs Anglorum*, & *Gallorum Blackneſs*, non amplius octo Leucis, id eſt, 24 milliaribus patens. Terræ tunc aperiuntur longe lateque vaſtiſſime, & ſpatium Mari faciunt *Germanico*.

HÆ ſunt Oceani Fretique *Britannici* diverſæ latitudines; quibus apparet, eas, ſi non continuo, tamen adeo rara tamque exigua cum ampliatione minui, ut argu-

mento

mento nostro nihil inde queat derogari. Ita enim Oceanus contrahitur, ut qui initio, seu Faucibus ejus *Britannicis*, Leucas triginta, sive Milliaria præterpropter nonaginta latus sit, post Leucas 153 circiter, sive Milliaria 460, (quæ hujus Oceani longitudo est) ad 24 milliaria contrahatur; id est, ad primæ latitudinis partem quasi quartam.

PROFUNDA hujus Oceani altero jam loco sunt expiscanda, & quidem optime beneficio ejusdem Tabulæ. In ea dividitur Oceanus *Britannicus* una cum Freto, in Columellas numero decem, oblongas. Harum singulæ latera sunt ex circulis Meridianis accepta; quæ cum in plano ducta sint, videntur esse recta. Columellæ terminantur adversis *Galliæ Britanniæque* litoribus: hoc est, Lineis huc illuc curvatis in litorum morem.

INCIPIAMUS a prima in occidente, quæ & longissima Columella est: & (præmisso, quod *Hiberniam & Galliam* inter, Oceanus orgyias altus sit in locis compluribus octoginta; uti paulo ulterius in aperto Mari, 100, 120, 140) notandæ

ſunt in prima Columella *profunditates* omnium altiſſimæ; quæ decies exploratæ ſe habent, ut 58, 66, 63, 65, 58, 65, 68, 60, 60, 60. quæ *profunditatum* Summæ faciunt 623 orgyias. Eæ per decem, i. e. *profunditatum* numerum, diviſæ, mediam earum *profunditatem* oſtendunt eſſe 62.

IN Columella altera, decem altiſſimarum media *profunditas*, ſimili modo inveſtigata, eſt orgyiæ 51. In tertia 51. In quarta 40. In quinta 43. In ſexta 40. In ſeptima 36. In octava 37. In nona 33. Poſt nonam Columellam, cum Oceanus in lævam flectitur, & obliquus in Fretum deſinit, accipiam illud ut Terris interjacet, in *Britannia* locis appellatis *South-Foreland* & *Haſtings*, in *Gallia St. Valery* & *Eſtaples* incluſum. Hic *profunditatum* decem media eſt 30. In Freto anguſtiſſimo 16: quæ ad profunditatem mediam in prima Columella, eſt, ut 16 ad 62; id eſt, ut 1 ad 4 fere; & ad altiſſimam profunditatem *Galliam* inter *Hiberniamque*, ut 16 ad 80, i. e. ut 1 ad 5: ad altiſſimam in aperto Mari, ut 16 ad 140; i. e. ut 1 ad 9 fere.

QUA

QUA proportione minuitur altitudo Maris, ea crescit Terræ Mari subjectæ acclivitas; & est illi in *ratione inversa*: quæ utique propositio, si non ex omni parte vera, (propter orbis figuram minime rotundam) tamen adeo veræ proxima est, ut argumentationi nostræ sufficiat. Est ergo Terra, in Freto nostro angustissimo undis subjecta, quam in Oceani *Britannici* faucibus, orgyias 46, id est pedes 276 altior; & quam Terra, *Galliam Hiberniamque* inter, Oceano subjecta, orgyias 64, sive pedes 384 altior; & quam Terra, aperto Mari subjecta, 124 orgyias, sive pedes 744 altior. Vide quanta sit Terræ ab alto Mari ad Fretum acclivitas; eaque ut ex calculo prædicto patet, fere continua. Hæc est Oceani *Britannici*, tam in illius Latitudine, quam Profunditate contractio.

AGE, nunc tendamus ultra, velis expansis, in Oceanum *Germanicum*: Hic Mare subito patentius, sic, ut etiam profundius: quod inter Promontoria *Northfore-land*, *Orfordness*, Oppida *Caletum* & *Ostendam* interfluit decem maximas habet men-

menſuras quarum media 24 Orgyias cum quatuor e quintis continet: quod inter *Orfordneſs*, & *Yarmouth*, *Texellam* & *Oſtendam* eſt, maximas decem menſuras habet, quarum media 25 Orgyias cum una parte quinta. Quicquid ultra eſt, Terris, hinc ad occidentem, illinc ad orientem ſe retrahentibus, vaſtiſſimus eſt Oceanus, in quo menſuræ ſunt ab Orgyiis 45 ad 50 numero quamplurimæ.

HÆC a Freto *Britannico* tam in oriente, quam occidente Terræ declivitas (quæ a Maris altitudine utrobique aucta pateſit) omnino probat, *in ipſo Freto jugum eſſe Terræ excelſum, acutum*; quod cum hodie non multum infra Maris ſuperficiem eſſe reperiatur, olim ſe emergere; hoc eſt, *Cherroneſum olim hic fuiſſe, monſtrat.*

ALIA ſunt duo, quæ cum in hac re momenti ſint immenſi, tenore tum minus certo, & natura minus ſunt conſtanti; quandoquidem a Maris motu & Ventis accepta. In refluxu Maris Aquæ nunc quieſcentes incubant arenæ; nunc eam molliter præterlabuntur. In æſtu mitiori, Litus & ima Rupium blandiſſime lambunt,

bunt, tenerrime oſculantur. Fervente vero æſtu, res omnino alia eſt: Aquarum Fremitus auditur, Fluctus cernuntur, & ſe non parum attollunt. Nihilominus ſine multa ſtrage, terriſve aliquot annorum millibus exeſis, hæc omnia poſſe fieri, cum *Voſſio*, cogitandum eſt.

SIN æſtuanti Mari, quod altero loco dicendum eſt, Ventus ſuperveniat (*Flat* autem *Ventus ſic, ut vult*, & quis ei tempus ſtatuerit, aut modum impoſuerit?) papæ! quoti, quantique Fluctus advolvuntur! *Alpes* exiſtimare licet Cryſtallinos, niſi quod cito diffluant. Montem enim Mons invadit, detrudit, diſcutit; tantiſper ejus ſpoliis adauctus, dum in cœlum altiſſimus exurgit Aquæ Mons. Tanta vis Aquarum ex Oceano occidentali in *Britannicum* immittetur, & tanto impetu, quantus in univerſo Terrarum orbe rarus inveniatur; imo quantus ab ipſo rerum initio rariſſime. Oceani *Britannici* tum brevia, tum anguſtiæ, continuo pæne (quod oſtenſum eſt) creſcentes, faciunt, ut Aquæ ſic impulſæ mirum in modum eleventur, & in Iſthmum (quem argumenti gratia fuiſſe damus) arietent, ita ut ab iis Iſthmum exundari, deteri, ablui;

lui, ſicque Inſulam fieri *Britanniam* non videatur ἀδυνάτῳ ἔν: verum e contrario factu probabile. Quantæ Ventorum, at præcipue Zephyri Caurique virtutes ſint, in cogendo impellendoque hoc Oceano *Britannico*, paucis expendam, a Doctiſſimo viro *Rad Bohun*, (*Novi* olim *Collegii* Socio, qui *de Ventis* omnium eruditiſſime ſcripſit) hac in re adjutus.

ETIAMSI Zephyrus a Poetis *vitam rebus ferre* dicatur,

——*ejuſque tepentibus auris*
Laxent Arva Sinus; ——

interdum ita fit, ut

—*Euriq; Zephyriq; tonet domus*; & ut
—*Zephyro multa turbentur arenæ.*

Adeo ſævus, horribilis, iracundus ſæpe Zephyrus, Vires in Oceano, qui *Europam* & *Americam* vaſtus interjacet, acquirens, & in ampliſſimo hocce campo recenſens, vix concipi poteſt, quanto *Britanniæ Galliæque* oras impetu invadat. Exploratiſſimum enim eſt, in haſce oras eum communiter anni plus dimidio flare, (quod jam olim a *Julio Cæſare* notatum) & flatu eas ſæviſſime verberare: maxime autumno, a quo ſumunt originem Tempeſtates

peſtates Idiomate noſtro dictæ [*Michaelmaſs-Storms*] eumque adeo interdum ſævire, ut ſi cum æſtu fervente jungi Ventus hic acciderit, tam Oceanus *Britannicus*, quam Fretum *Sabrinianum* immane quantum augeantur. *Sabrina* vaſtiſſime turget. *Uzella* longe lateque *Somerſettenſem* Agrum exundat. Mirum ab hiſce Cataclyſmis quantum mea patria perpeſſa eſt. Continuatur æſtus ad uſque *Tewkesbury*, id eſt, milliaria magis ducenta. Apud *Chepſtow* Aqua pedes interdum octoginta aſſurgit. Idem fere dicendum de Oceano *Britannico*, Venti ejuſdem viribus elato: niſi quod hic, Cherſoneſo jam effracta, liberius Aquæ moveantur, non adeo ſiſtantur, non tantum eleventur; quæ utique Aquarum libertas ante Cherſoneſum abruptam, nequaquam adeo magna eſſe potuit.

HAC igitur de cauſa [*Zephyro* nempe, *Cauro*, ſive alio Ventorum aliquo, Maris æſtui ſuperveniente] Oceani *Britannici* Undam in Iſthmum validiſſime impingi, & ab illis primum ejus ſuperficiem, quæ ex Silice & Calce (prout hodie Terræ e regione oppoſitæ) conſtabant, ablui; deinde Iſthmi quod reliquum erat, ſpatio

bis mille annorum & eo amplius, Aquæ fluxu refluxuque ad 16 orgyias, quæ hodierna Freti hujus (quod diximus) altitudo eſt, atteri credibile, veriſimile eſt.

TANTUM abeſt, ut *Voſſio*, Fretorum perpetuitatem a naturæ in operibus ſuis *conſtantia* tenoreque eodem arguenti, fidem habeamus, ut e contrario Fretum hocce noſtrum illius *inconſtantiæ* deberi, lubens agnoſcerem. Vir ille clariſſimus, naturæ uſitatum agendi modum unice reſpiciens, *extraordinarium prætermiſit*; qui tamen, in raris hujuſmodi effectis, potiſſime videtur reſpiciendus. In Freto *Siculo* conſiderando, ejuſque diducendi modo inveſtigando, quis Ignis ſubterranei ſupra modum erumpentis, tamquam Cauſæ hac in re probabilis, non meminerit? niſi iſtam *Catanenſium* ἱστορίαν conſecutus, qui (tradente *Alphonſo* [1] *Borello*) poſt Eruptionem *Ætnæ* diu intermiſſam, Ignem ejus immodicum ne ſemel quidem unquam fuiſſe, ſatis inſulſe putavere. Ut Vento nihil inconſtantius, ſic ad Fretum hoc aperiendum (poſito cauſarum apparatu

1 In Libro de *Incendiis Ætnæ*, p. 117.

ratu cætero) nihil conducibilius: & cum eo res deducta est, *fortius elementum esse quod oppugnat, quam quod resistit*, (aliter quam *Vossius* statuit) omnino probabile mihi videtur. *Salmasium* ille, Virum & candidum & doctum convellit, quod de Navibus absque Costis & Interamentis, ita scripsit, ac si in *Burgundia* mansisset, nec quid rei Navis aut Mare foret, intellexisset. Nequeo satis *Isaacum* mirari, quod *de Mari & Venti*s scriptor luculentus, horum vires in Mari turbando agitandoque in terris obruendis abrumpendisque prorsus omitteret; atque adeo quod *Batavus* omitteret: ea scil. Regione oriundus, quæ Mari & Vento tam obnoxia.

NON alienum erit hic Inundationum aliquot exempla, uti revera fuere, in medium proferre; quibus abunde patet, Terræ faciem frequenter obrui, & ab iis non parum mutari. Hic autem nihil necesse est, ut *Helicen* & *Buriu*, *Achaiæ* Urbes adeamus: de quibus tamquam magnarum Inundationum arguimentis, [1] *Ovidius*,

 &

1 *Invenies sub Aquis, & adhuc ostendere nautæ*
Inclinata solent cum mœnibus oppida versis.
Metam. Lib. 15.

Eurus dicitur, & fluxu Maris super provinciam Hollandiæ *terribiliter invalescente, prævaluerunt Aquæ Maris, adeo ut Fossata, qua Terram ipsam & Mare disterminant, inopinatius quam credi poterat, transgrederentur; posuitque Terram fructiferam in salsuginem tam repentinus Maris impetus; qui per indigenas nullatenus poterat obviari: & maxima pars S.* Botolfi *submersa, hominumque & pecudum inæstimabilis periit multitudo.*] Ita Chronicon *Tho.* 1 *Wikes.*

DE *Hollandiæ* Inundatione sic *Hadrianus Junius* 2 in *Baviæ* Historia [*Quadringentis abhinc annis inaudita* illa *Inundatione quæ universam* Hollandiæ *faciem longe lateque operuit, obstructo fluminis* (Rheni) *cursu, steriles arenarum colles Litus occuparunt, Mare, Terras, ipsamque Litoris oram attrivit.*]

ANNO 1404. quo beatissimus noster *Wiccamus* obiit, [*Tanta repente ruptis limitibus irrupit Aquarum influentia in Cantio, quanta nunquam fuerat illic ante visa, qua submersa sunt animalia numero & pretio excessivo: nec solummodo deflevit*

Anglia

1 pag. 11. 2 pag. 196.

Anglia *damna talia, sed ut fertur*, Selandia, Flandria & Hollandia, *per Undarum excrementa, innumerabilia sensit dispendia eo anno*] Hypodigmate *Neustriæ* per *Tho.* 1 *Walsingham.*

REGNANTE Edwardo I. *cum Oceanus ventorum violentia exasperatus, hunc* (Cantii) *tractum operuisset, lateque hominum, pecorum, ædificiorumque stragem dedisset*, & Bromhill *viculo frequente pessundato, etiam* Rother, *qui hic prius se in Oceanum exoneravit, alveo emovit, ostiumque obstruxit, novo in Mare aditu compendio per* Rhiam *aperto.*] *Camdenus* in *Britanniæ Cantio.*

QUID quod *Tungros*, oppidulum *Leodiense*, a Mari pæne centum milliaria jam remotum, Mare quondam adluere opinati sunt Viri doctissimi, argumento non uno persuasi 2.

NEQUE nostra ætas caruit hujusmodi Exundationibus: Narrant Novellæ *Feb.* 27. 1713. in *Essexia*, plura Terræ jugerum millia, per milliaria aliquot, inter *Barking* & *Purfleet*, eversis obstaculis, Maris influxu obrui.

HÆC

1 pag. 564. Ed. *Francofurt.* MDCIII. 2 *Verstegan*'s Antiquities, pag. 102. *Ray*'s Physico-Theological Discourses, 1693. pag. 169.

HÆC de Oceani *Germanici* exundationibus: *Britannici* noſtri, & *Sabrinæ*, neque pauciores, neque minores ſunt. Enimvero vidimus ætate noſtra Iſthmum, uno eodemque *Pededri* fluxu & refluxu (Terræ ſuperficie prius ab Agricolis ſemota) dilui, fluviumque veteri curſu relicto novum acquirere: hoc, inquam, unico fluvii iſtius æſtu factum vidimus, nullo auxilium præbente vel Undas adigente Vento.

SABRINÆ fluminis impulſu fieri probabile eſt Exundationem illam, qua in Agro *Monumetenſi*, Parœchiæ N°. 26. A. D. 1607. menſe *Januario* Aqua obruerentur: Cujus eodem Anno publicata fuit [1] Hiſtoriola.

JOHANNE rerum *Anglicarum* potito [*Subita & improviſa Aquarum Inundatio pluribus in locis per* Angliam *facta eſt, unde plures homines ſubmerſi ſunt, & domus everſæ, maxime apud* Exceſtre *& Sanctum* Ivonem.] Imagines Hiſtoriarum Autore [2] *Radulfo* de *Diceto*, [Poſt diutinam

1 *Lamentable News from* Monmouthſhire.
2 pag. 710.

diutinam malaciam, mare Vergivium, *adeo per totam hyemem, regnante tunc* Henrico *secundo, tempestatibus agitabatur, ut toto illo temporis spatio, Navicula nulla ad* Hiberniam *adpulsa, de reliquo terrarum orbe nihil apud eam inauditum. Terror hinc universus, tamquam malo impendente quodam gravi, de cælis misso. Arenarum aggeres, in Australi* Cambria, *quasi Cataclysmo abluebantur, Litora subvertebantur*] Giraldi Cambrensis [1] Hibernia *expugnata.*

AT o quam terribilis illa tempestas, qua, Maris Undam in Oceanum *Britannicum* impellente *Africo*, ita ille turgebat, ut Pharos illa celeberrima, *Eddistone* appellata, quæ fuit e regione *Plimuthæ*, tamquam in contemptum *Æoli Neptunique* fabricata, quasi ludibrio habita, simul cum ædificatore diruueretur. Cujus utique tempestatis in hoc nostro Oceano si non eadem vis & potestas esse videatur, atque illarum in prædictis Oceani *Germanici* Exundationibus, propter majorem ab hisce stragem & damnum in *Hollandia Zeelandiaq*; factam; Litoribus hoc nostris rupibus

1 Cap. XXXV.

munitis, quæ & duriores & altiores quam apud *Batavos* sunt, deberi judico.

TEMPESTATES [ut argumentum hoc conficiam] quæ in Oceanis *Germanico* & *Britannico*, nostra & patrum memoria sæviere, & de quibus omnino constat, adeo fuere turbulentæ ut si earum aliquæ in Chersonesum, ad hosce dies usque manentem, recta fuissent collineatæ, nullus (ut opinor) esset dubitandi locus, quin a tanta vi auferretur Isthmus: & tot annorum sæculis, quot illico dicentur, revera hoc accidisse, nequaquam improbabile videtur.

SIN ex *America* Turbo maris æstui superveniat, mare, cœlum, omnia miscens, omnia confundens, ac si naturæ instaret dissolutio, (posse vero hæc concurrere nemo sanæ mentis ibit inficias) en causam huic negotio parem! Aquas Oceani super Isthmum efferentem, Terræ cutim abripientem, viscera ejus exedentem, sabulum abluentem, totum denique Isthmum, crebris reciprocationibus, ad eum, in quo nunc est statu, reducentem.

AL-

ALTERUM hujus Dissertationis membrum jam aggrediamur, & speciatim inquiramus, utrum exesa fuerit revera hæc Chersonesus; annon. Si de ejus dividendæ modo, qui fieri posset, conveniat, magna inde lux emanabit, unde argumenta, quæ a Viris doctis passim afferuntur, ad divisionis hujus probabilitatem arguendam, egregie confirmabuntur: præmisso nempe (quod hactenus fuit desideratum) Vento, ejusque in elidendo hoc Isthmo virtute, omnium causarum maxima, tantoque negotio (cum cæteris) pari. Horum ego argumentorum nonnulla persequar; sed leviter tangam, utpote ab aliis fusius antehac tractata.

PRIMO, Terræ jugum illud notabile, quod Freto subjicitur, (& de quo supra) quid aliud sibi vult, quam quod eo loci Terra olim multo altior esset; at Maris per aliquot annorum millia reciprocationibus, ad eum in quo nunc est statum, abluta & detrita? Præcipue, si advertamus Regulam hanc constantem & perpetuæ veritatis esse, *Maris* scil. *imum*, *quo magis*

Oceano præterlabente tritum, (quantum patitur ejus durities) eo magis planum & æquale reddi.

QUID deinde Rupes in Freti Litoribus oppositis, sive Montes prærupti, albi, ex eadem materia, Calce nimirum & Silice compositi, ad sex utrobique milliaria, sibi invicem, tamquam Tesseræ respondentes; quid, inquam, volunt, nisi olim interfringi se, & ablutione Terræ interpositæ disrumpi?

TERTIUM apprime convenit cum isthac Chersonesi *Britannicæ* opinione, tractus illius, qui hodie *Rumney-Marsh* appellatur, ratio & ingenium. Durante enim Isthmo, cum Oceani fluxus eo tamquam obice sisteretur, æstuare eum necesse erat, atque adeo Terram illam *Rumneiensem*, utpote planam & humilem, in propinquo exundare. Hoc ostendunt Oceani *Britannici* Fluxus, hodieque hac planitie altiores, aggere fortissimo & magnis sumptibus aspulsi: Dentes item ostendunt, atque Ossa, sive Hippopotami, sive alius cujusdam marini animalis [1] anno

1 *Vide Clariss.* Somneri *Diatribam* Chartham-News *appellatam: Actorum Philosoph.* No. 272. *Et Clariss.* Wallisii *de hac Chersoneso Dissertationem. Act. Phil.* No. 275.

no 1668, *Charthami* altitudine pedum 17, dum puteus aperiretur, eruta: at luce clarius oſtendit Anchora, non ita pridem ex alto loca hæc circiter effoſſa. Perrupto autem Iſthmo obiceque jam remoto, Oceani unda ſubſidit, a Terra illa receſſit, in alveum ſe contraxit; unde quæ olim Æſtuarium, hodie Planities, longa viginti milliaria, lata octo, eaque fertiliſſima, bobus ſaginandis aptiſſima reperitur.

NOVISSIME, fac Cherſoneſum olim fuiſſe, Lupos, aliaque animalia, generi humano inimica, poſſe huc migrare, conceptu facillimum eſt: at ſi illa non fuit, navigiis ea, tamquam ad tuendas & conſervandas eorum Species, advehi, ſtulte cogitabimus?

NEQUE me moratur, quod nulla ſive *Latinorum*, ſive *Græcorum*, ſive alius cujuſvis populi Hiſtoria Cherſoneſi hujus abruptæ mentionem feciſſe perhibeatur, (quamvis hoc nequaquam ex omni parte verum:) Dic ſodes, Hiſtoriæ quam brevis ſit ætas, ſi ad ætatem mundi comparetur. A rerum initio ad primam, quæ nunc exſtat (i. e. *Herodoti*) Hiſtoriam, 3500 circiter anni ſunt; & a *Noæ* Diluvio,

vio, 1800. At tam immenſo temporis ſpatio (quod ſupra innuimus) quæ Cauſarum accidere poſſint συζυγίαι; quæque ex iis in orbe noſtro fieri mutationes, nemo tam cito ſtatuere debebit.

DIXI *hoc nequaquam ex omni parte verum:* quid enim planius illo *Virgilii*,

[1] —*Penitus toto diviſos orbe* Britannos.

[*Nonne putatis*, (inquit eruditiſſimus & Antiquitatum *Britannicarum* ſcientiſſimus [2] *Joh. Twinus*) *vocabulum* [diviſos] *habere eam vim ut ſignificet abſciſſionem alicujus ab aliquo? Et Auctorem mire gnarum ſignificationis fuiſſe, & rerum antiquarum maxime peritum, & bene memorem ſui?*] Ad hæc verba *Servius* [*Quia olim juncta fuit Orbi* Britannia] Nihil clarius eſſe poteſt ad demonſtrandum Iſthmi hujus diviſionem veteribus fuiſſe notam. Huic [3] *Claudianum* Illud convenit,

—*Noſtro deducta* Britannia *Mundo.*

Ut

---

1 *Eclogæ* 1. 2 *De rebus* Albionicis, *pag.* 22.
3 *De Conſulatu* Mallii Theodori. *V.* 51.

Ut omnino fruſtra eſſe *Voſſius*, & nimio plus ὑποθέσει δουλεύειν exiſtimetur cum in Fabellis *Ægyptiacis* (quo nempe ſuæ opinioni habeatur honos) eam poni voluerit.

IN naturæ rebus exquirendis permultum intereſt, Cauſarum συζυγίας, earumque operandi modum peculiarem attendere: Cum enim Cauſæ ſimplices plerumque debiliores ſint, & proportione languidius agant, e diverſo Compoſitæ plus habent virium, & fortius, imo mirum ſæpe in modum valide, operantur. Palam & aperte rem hanc probabunt Exempla. Medicinam exercenti Tuſſis ſine difficultate ſæpe mitigatur, aufertur; quæ tamen in corporibus *Phthiſicis*, ubi malo favet imbecillitas pulmonum, periculo non caret: ſi vero Diatheſi *Phthiſicæ Arthritis* ſe conjunxerit, in Pulmones irruens *Anomala*, multo plus inde periculi; quod tamen adhuc gravius, ſi *Arthritis* iſta *Scrofulæ*, vel *Luis Venereæ* Μιάσματι debeatur: adeo nempe grave, quod ex *Phthiſi* tam compoſita, & de *Arthritide*, deque *Paturſa* participante, pauci admodum ſe recolligant, & ſaluti reſtituantur.

NAVI

NAVI se in portum insinuanti opem fert Aquarum Fluxus, secundo eam Flumine propellens: Major autem est propulsio, si ventus insuper accedat, eamque acceleret: maxime vero omnium, si velis expansis & remis agitatis eadem promoveatur. Similiter, in Isthmum Oceanos *Britannicum* & *Germanicum* separantem, blandius hac atque hac conissat æstus aquarum modicus; arietat exundans: Flante Cauro & oceanum, e longinquo orientem versus impellente, vis augetur; maxime omnium si ex *America* Turbo fuerit: Causæ enim ita gradatim auctæ, tam virtute potentiores quam numero plures, Elemento, quod resistit, (i.e. Freti Terra) Elementum, quod oppugnat (i. e. Aquam) contra quam *Vossius* est opinatus, validius reddit; unde abluitur Isthmus, & Insula perficitur.

CONCLUDIMUS ergo e prædictis simul acceptis, *Britanniam non jam inde ab initio fuisse Insulam, sed ex Pæne-Insula factam: idque, ut videtur, a Vento e sævioribus aliquo, cum Maris æstu concurrente & Isthmum perrumpente.*

CAP.

TABULA BELGII BRITANNICI CHOROGRAPHICA.

SILVRES
Venta Silurus
Trajectus
Durocorinium
Cirencester
Wallingford
Thamesis flu
Bovium
Boverton
Caerleon
Isca Legii
DOBUNI
Sherston
ATREBATES
Ebdown
Abone
Hanham
Sibersfield
Aquæ Solis
Bath
Calleva
Honly
Spinæ
Speen
Reading
Avona flu
Tropæum
Claudianum
the Wedding
Vitalis sepulcretum
Wellow
Hasilbury
Farley castle
the Devils Gits
Cunetio flu. Kennet
Viii Domis
Silchester
SABRINÆ ÆSTUARIUM
Barry Isl
Flatholmes
Steepholmes
UZELLÆ
Ax Flu
Ogo
Devisæ
Corn-hill
Verlucio
Westbury
Portlocus
Portlock
Vecetus
Watchet
Brie flu
Pedredus flu
Stonehenge
Old Winchester
B E L G I U M
Sorbiodunum
Old Sarum
Brigæ
Broughton
Venta Belgarum
Winchester
Itching flu.
REGNVM
Wilscomb
Thelnes
Tona fl
Ivel flu
Charlton Musgrave
Camalet
Ischalis
Ilchester
Melbury
Clausentum
Southampton
Occidens
Honyton
DVNMONIVM
Axminster
Axium flu
DUROTRIGES
Vindogladia
Winborn
Durnovaria
Dorchester
Avona flu
Regnum Vetus
Ringwood
Bartonis Æstuar
Castra Vespasiani
Portland
Ostium Avonæ
VECTIS
Insul.
Metras Aquæ
OCEANUS BRITANNICUS

BELGII nostri Tabulam hanc Chorographicam,
GEORGIUS MUSGRAVE. J.C.
Frater carissimus, ab Charlton Musgrave in Com:
Somerset Oriundus Reipub, Literariæ D.C.Q.
MDCCXVII.

Notarum Explicatio
∞ Denotat Ogonem
Insulam
Urbem vel Pagum
Castrum
Tropæum Claudianum
Viam Militarem
..... Belgii Limites
+ Locum in quo Nummi seu Pavimenta fuere Detecta

CAP. I.

De Belgii *nostri* Limitibus.

§. I.

RES *Britanno-Belgicas* scripturo, necessarium mihi videtur, initio (tamquam earum scenam) Nationis hujus χωρογραφίαν explicare: Qua in re, cum plurimæ occurrant difficultates, (nulli enim hic *Botontini*, nulli *Termini*, nullæ, quæ limites ostendant, *Ripæ strigæ* inveniuntur) si, quod ubique summe probabile verisimilitudinis speciem præ se ferat, tradidero, etiamsi non pro dignitate argumenti, nihilominus spero, pro Lectoris Humanitate & Venia, satis me facturum. *Introductio.*

§. II.

BELGIUM noſtrum ea pars *Britanniæ* eſt, quæ a *Belgis*, huc e *Gallia* demigrantibus, ſuperata, ab iis ſibi nomen adſcivit, Limiteſque longe lateque prætentos hunc in modum accepit.

Limites primo breviter

QUA ad Mare *Britannicum* patet, ab Occidente, *Durotrigum* Promontorio, in *Purbeck* Inſula, terminabatur; ab Oriente, Portu, qui a *Ptolemæo* Μέγας Λιμὴν appellatur: Hæ Extremitates quadraginta circiter Leucas a ſe invicem diſtant, & in iis Promontoria ſinum faciunt, qui *Vectim* Inſ. ſibi objectam habet, quam, velut ambabus ulnis, amplecti nititur.

AB hac ora, verſus Septentrionem, & deinde procul Occidentem verſus, *Belgium* exporrectum eſt; forma digiti Indicis, curvati; latitudinem habens ſummam quadraginta milliarium.

Delineati.

AD mare, ubi incipit, hinc *Durotrigum* terra; illinc, in oriente, *Rhegno* intercluditur. Paulo altius *Segontiacis*; tum, ad lævam, *Atrebatiis*; & eos proxime *Dobunis*, ad Fretum uſque *Sabrinianum*, adjacet. Quod reliquum eſt, ejus quaſi dimidium, a meridie & occaſu hic *Durotriges*,

triges, illic *Dunmonios*, a Septentrione Fretum isthoc interjacet.

§. III.

HOSCE *Belgarum* Limites, ut, quam possim, accurate persequar, a *Durotrigibus* eos separavit, ita mihi videtur, *Avona fl.* ex adverso *Vecti Inf.* Promontorio, se in mare *Britannicum* exonerans. Neque enim * Tabulis *Britanniæ Romanæ*, *Camdeno*, vernacula lingua edito, annexis, aliique recentiori, quæ *Belgium* ultra *Alaunum* in occidentem extendi facit, adhibere possum fidem ; cum ita positi Nationum harum Limites, nullo probabili argumento fulciantur : e contrario, longe satius, & Antiquitati convenientius est, a Fluviis & Montibus, terminis scil. a Natura fixis, hos & hujusmodi Limites statuere. *Secundo loco fusius.* *Tabulæ vet.* Belgii

NEQUE uno isthoc nomine *Belgium* justo latius exhibitum : In eo Tabula porro corrigenda, quod *Vindogladiam*, *(Winborn) Durotrigum* Urbem, contra *Camdeni* sententiam, ipsiusque rei probabilitatem, (est enim a mari non plus quatuor vel quinque milliaria) in *Belgio* locari faciat. *Corriguntur.*

* *Vide Atlantis Geograph.* N. 1.

§. IV.

Exmore *in Comitatu* Somerset.

CONTENDAMUS hinc ad occidentem; ubi Punctorum Linea, *Belgium* a *Dunmonio* in Tabulis prædictis separans, per Regionem montosam, *Exmore* hodie nominatam, ita ducitur, ut eam dividat, ejusque partem magnam *Belgis* attribuat: Hoc *Camdeni* forsan ex Sententia factum; qui, ad eundem pæne modum, inter Comitatus *Somerset* & *Devon*, Regionem hanc divisit. At neutrum satis auspicate: neque Comitatus, neque *Belgii* Limites hoc modo recte exponuntur. Primum enim, *Exmore*, contra quam a *Camdeno* declaratur, *Somersetiæ* pars est: ut in illius *Perambulatione*, a Fratre nostro Juris *Anglorum* Municipalis Consulto scripta, (cum haberet vicinia *de Legibus Agrariis* controversiam) e Tabulis publicis, docte & luculenter ostensum est. Deinde, *Belgas* sterilem & montosum illum terræ tractum in occidente invadere, vel subigere voluisse, nullam veri speciem præ se fert; sed tantum Agri *Somersettensis* illam in occidente vallem, quæ iis, citra montes ad *Dunstar* usque pertinens, omni fere ævo grata, salubris, & jucunda fuit,

Agri-

Agricolæque voto respondens. Comitatus ille in occidentem, antiquo *Belgio* quindecim milliaria longius excurrit; quod iccirco, linea breviori arcu ducta, brevius a nobis, quam in Tabula prædicta, designatur.

§. V.

AT de *Belgii* Limitibus, ubi ad Septentrionem maxime vergit, & *Dobunos* attingit, major adhuc difficultas. Gravissima viris Litteratis, hac de re, suborta fuit disputatio; quorum alii *Cangos*, eum terræ tractum, qui hodie *North-Wilt-shire* & *Somerset-shire* appellatur, incoluisse volunt; alii contra, ad *Devæ* Flumen, & mare *Hibernicum*, illos abigunt. Argumentis & multis, & probabilibus, uterque partes acriter defendunt; quæ, cum *Belgarum* interesse video, perpendam, & Litem [*de Patria Cangorum*] pro virili, dirimere conabor: etsi de hac re alibi verba in transcursu feci. *De Patria Cangorum.*

QUI in *Belgio* ponunt eos, ab Oppidorum & Vicorum, &c. (ut *Kainsham*, *Wincaunton*, sive *Cangton*, *Cannington*, *Alcannings*, *Caln*, & unius Centuriæ *Cannings*) nominibus, ad hunc usque diem in eo retentis, *Eos in Belgio habitasse,*

tentis, tamquam veterum *Cangorum* inibi vestigiis, argumentantur. Tum a Regionis hujus situ, qui [*haud procul mari, quod* Hiberniam *Insulam aspectat:*] *Taciti* verba, de *Cangis*, *Sabrinæ* accolis, intellegunt. Tum ex alio *Taciti* loco, ubi tradit Historicus, *Ostorium*, post *Icenorum* cladem, in *Cangos* exercitum duxisse, [*cum ortæ apud* Brigantes *discordiæ a tergo retraxere ducem :*] Hinc enim arguunt, a tergo, ad *Sabrinam*, non ad *Devam* a sinistra, fuisse *Cangos*; neque aliter *retractum iri* posse Ducem. Porro a vocabuli in *Cæsaris* Commentariis, lectione *Lipsiana*, nempe [*Iceni Cangi*] pro [*Cenimagni*] *Cangos*, ex sententia *Cæsaris*, juxta *Segontiacos* & *Bibrocos* esse.

Quæ argumententur:

§. VI.

Et ad ea quæ respondeant,

SED his ad manus sunt responsa: primo enim, quod ab Oppidorum, &c. Nominibus urgetur argumentum, non aliud esse judico, quam de quovis alio pæne Comitatu, quod urgeri possit. Enimvero facile est, Verborum Etymologias excudere, & inanes super iis conjecturas struere, proque vera & solida disciplina venditare: quamquam alias utiles esse, minime

minime negaverim. Tum advertere oportebit, τὸ *Retrahi* non ſemper ad locum referri, ſed aliquando ad *Rempublicam*; Ita *Cicero*, [*Retrahere aliquem a Rep.*] Ad *Studium*; Ita *Terentius*, [*Retrahere aliquem a ſtudio.*] Omnium autem clariſſime *Catullus* ad *Alphenum*, [*Retrahere ſe*] pro *a coepto deſiſtere.*

[*Idem nunc retrahis te, ac tua dicta* *Et verba,*
omnia factaque
Ventos irrita ferre, ac nebulas aerias ſinis.]

Sic etiam *Horatius*,

[*Ac ne te retrahas, & inexcuſabilis abſis.*]

Et vergente Latinitate * *Capitolinus*, de *Maximino*, [*Exercitum ad ſuam militarem diſciplinam* retraxit.] Unde manifeſtum eſt, τὸ [*Retrahere ducem*] ita debere accipi, ut eo ſignificetur, quod [*hæ* Brigantum *diſcordiæ a propoſito* (perſequendi *Cangos*) *retraxere* Oſtorium.]

§. VII.

SED, tertio loco, a verbis deſcendamus ad res; & poſito imprimis, *Taciti Icenos* ſupra dictos, ut & *Camalodunum*, Agri fuiſſe, qui hodie *Staffordſhire* appellatur; *Et facta.*
& ab *illis*, Viam militarem, *Ikenild-ſtreet*, quæ

* *In duobus* Maximinis.

quæ Comitatum istum permeat; ab *hoc*, *Camalet*, oppidulum in propinquo, nomen accepisse; (quæ Clariss. *Staffordiensis* Historici sententia summe probabilis, ab Additamentorum ad *Camdeni Somersetiam* Auctore, concessa est;) positis, inquam, hisce, nihilominus cogitandum est, neque *Cangorum* motus, neque ipsos *Cangos*, citra *Devam*, id est, in Comitatu dicto *Cestriensi*, (quod Auctor ille vult) imo potius ultra, prope *Monam* Ins. fuisse: quibus positis, si a *Camaloduno*, ad *Brigantes*, linea ducatur recta, distabit a *Cangis* seditionem moventibus, ubi ad eos proxime accedit, minimum milliaria quadraginta: Ut Discordiæ *Brigantum*, a *Cangis*, non inepte dicantur [*Retrahere Ducem.*]

§. VIII.

INSUPER addi potest, si *Cangi Belgis* & *Dobunis* interpositi fuissent, captu esse difficile, *Ostorium*, militiæ prudentem, & *destinationis certum*, *ne nova moliretur*, *nisi prioribus firmatis*, ducto in *Cangos* (i. e. *Camaloduno* isto meridiem versus) exercitu, statim ad *Brigantes* (i. e. retro in Septentrionem, & quidem longe) *retrahere*. Non-

ne

ne ſatius eſſet, & prudentiæ militari magis conſentaneum, *Cangos*, *Belgis* & *Icenis* hiſce interjacentes (ſi modò interjeciſſent) prius armis ſubigere, & in meridie ſecura ſibi præſtare omnia; quam relictis a tergo hoſtibus, (ſcil. *Cangis*) longe diſſitos in Septentrione *Brigantes* invadere. Adeo licet, ab exercitus *Oſtoriani* ductu, contra *Cangorum* in *Belgio* noſtro ſedem, argumentum afferre.

DE Lectione *Lipſiana*, facile eſt reponere, ſi *Cangos* ea *Bibrocis* & *Segontiacis* vicinos, ex mente *Cæſaris*, arguere judicetur; quibus artibus, quo vehiculi genere *Icenos*, ſive illos Agri *Norfolcienſis*, ſive hos *Staffordienſis* (novis uti vocabulis neceſſe habeo) illuc deducamus. Præterea, *Cangi* ad *Devam* habitantes, a *Belgis*, quam *Iceni*, non ſunt multo remotiores: ut, ab iſta Lectione, quid in hac re frugis oriatur, nullus intellegam.

§. IX.

EX altera parte ſtat *Ptolemæus*, cujus hac in re auctoritas magni profecto æſtimanda. En! Illius verba, a Clariſſ. *Galæo* ſic correcta. Δοβένοις [ἐνοίκειν] Βέλγαι, καὶ πόλεις Ἰσχάλις, Ὕδατα Θερμά, Οὐένλα,

Ex altera parte stat Ptolemæus.

τόπων δ' ὑπὸ δυσμῶν καὶ μεσημβρίας Δικέτειγμς. Unde patet *Dobunis Belgas*, sic, ut iis vicini sint proximi, subjacere. Hoc enim vocabulum [ὑπόκειν] tam hic, quam alibi sæpissime in hoc Auctore, significat. At cum Agros *Glocestrensem* & *Oxoniensem*, omnium, ut opinor, ex sententia, tenuerint *Dobuni*, qui fieri posset, ut iis ὑπόκειντο, sive proximi vicini possent esse *Belgæ*, si hisce populis (*Belgis* & *Dobunis*) interponerentur *Cangi*. Deinde, quoniam mos est *Ptolemæi*, primum Populos, tum eorum Urbes recensere; *Ischalin* & *Aquas Calidas*, quas illi, qui contrarium tuentur, *Cangorum* Urbes esse judicant, non minus quam *Ventam*, *Belgarum* Urbes esse, manifestum est.

§. X.

Cangorum *patria circa* Devæ *ostium.*

SED *Cangis*, ut vagis, ut extorribus, ut incerti Laris hominibus, ne parum humanus esse videar, nisi Terram, quam incolere possent, aliquam statuero; iis (ut in transcursu id dicam) assignanda mihi videtur ex antiquorum opinione illa, quæ Fluvii *Devæ* circa Ostium est, & *Ordovicibus* ab Austro, & qua ad mare pertinet, *Hibernico* mari includitur. Ibi enim, quod

quod de *Cangorum* Patria narratur, [*ventum, haud procul mari, quod* Hiberniam *Insulam aspectat.*] Et quidem melius, quam de *Sabrina*; ubi Trajectus in *Hiberniam* multo longior, & difficilior. Ibi *Ptolemæi* Καγκανῶν ἄκρον, i. e. *Canganorum*, sive *Cangorum*, Promontorium, (hodie *Lhyn*, in *Caernarvon-shire.*) Illinc itum facile in *Brigantes*, in *Silures*, in *Ordovices*; quod ab *Agricola* factum est: ut totius orbis una sit hæc terræ portio, cui isthæc omnia tam adamussim, & tam apte conveniant, aut quæ adeo juste de *Cangorum* patria glorietur: præcipue, jam dictis si fidei indubitatæ unum superaddam, nempe *Inscriptiones*, numero viginti, in totidem Laminis plumbeis, sæculo dudum elapso, apud *Cornavios* inventas: quæ in *Camdeno* ita leguntur,

IMP.DOMIT.AVG.GER.DE.CEANG. *Quod patet Inscriptionibus.*

id est, *Imperator Domitianus, Augustus, Germanicus, de Ceangis*, sive Cangis.

HÆ sunt testes incorruptæ, certissimæ, locupletissimæ, uno ore probantes, *Cangos* istius esse regionis, & ex consequenti (quod ad rem nostram maximopere facit) a *Belgio* procul remotos. Harum, uti vi-

detur, ob teſtimonium, Cl. *Camdenus*, qui priori ſententiæ aliquandiu favit, palinodiam cecinit, & tandem ad *Devam* habitare *Cangos* opinatus eſt. Hujus opinioni tam bene confirmatæ, una cum *Lipſio* libens acquieveram, nec Quæſtionem, ſi non abſolutam, at certe ſopitam, denuo citaveram, niſi eam iterum moviſſet Literatorum par nobile; & *de patria Cangorum* iterum quæri cœpiſſet; unde *Belgio* noſtro periculum.

§. XI.

Quo anno illi ab Agricola ſuperati.

CANGOS Agricola, (placet enim obiter rem admodum curioſam, paucis ultra perſequi) redactis *Ordovicibus* & *Mona* Inſula perterritos, [*quinto expeditionum anno domuit, cum eam partem* Britanniæ, *quæ* Hiberniam *aſpicit, copiis inſtruxit, in ſpem* (adeundæ Hiberniæ) *magis quam in formidinem.*] Hunc *Taciti* locum, de *Cangis* hoc anno ſuperatis, intellegi debere, vel eo liquet, quod iſta *Laminarum Inſcriptio*, cum loco *Taciti* jam citato, tamquam Teſſera, concordet. Laminæ enim oſtendunt, Imperante *Domitiano*, ſuperari *Cangos*: *Taciti* verba declarant ab *Agricola* præclare acta, quinto

quinto expeditionum anno: Hæc autem anno *Domitiani* Imp. *primo*, acta ſint, neceſſe eſt; cum ab eodem Hiſtorico tradatur, in *Caledoniam*, anno ſubſequenti, duce *Agricola*, penetraſſe exercitum; ibique per reliquam ejus adminiſtrationem tempus exegiſſe. Utque iſthæc *ejuſdem eſſe anni*, ſic & *ejuſdem viri*, atque adeo *eadem facta* ſine dubio videntur. Hinc elicitur, ubi gentium *Patria Cangorum*, & a *Romanis* illi quando, (nempe primo *Domitiani* Imp. anno,) & quo Duce, (nimirum *Agricola)* ſubigerentur.

§. XII.

RE *Cangorum* abſoluta, ſupereſt, ut e *Belgio* noſtro *Rhegnos* amoveri faciam, itaque Limites ejus ex omni parte vindicem. Hos in ora *Belgii* maritima locavit Auctor graviſſimus, *Guil. Camdenus*: [*Proxime* Atrebatios, inquit, *ad ſolem orientem* Regni, Ptolemæo ΡΗΓΝΟΙ, *regiones eas, quæ nobis nunc* Surry *&* Southſex *vulgo vocantur, cum parte* Hantonienſis *Agri maritima, inſederunt.*] De *Belgis*, ait, eos eſſe [*qui longe lateque habitarunt, per regionem* Somerſettenſem, Wiltonienſem, Hantonienſiſque *Agri partem*

Belgii oram maritimam

tem interiorem.] Huic opinioni visus est vir Doctissimus ideo favere, quia *Rhegnum*, Urbem ad *Alaunum* sitam (cum Terra adjacente) *Rhegnos* habuisse dominos, si non & conditores, ex similitudine Nominum, opinatus est. Quoquomodo res ea sit, a prima regionis hujus possessione, & *Belgii* nomine ei a Victoribus imposito, *Belgas* eam sub imperio tenuisse, mihi persuasum habeo.

In meridie,

NAM cum eum e *Gallia* populum *Britanniam* invasisse; cum immensum ejus tractum in ditionem redegisse; & redacto illi nomen impertivisse, omnino constet, & omnibus in confesso sit; quis, obsecro, probabilior aditus? quæ, ad illam *Britanniæ* partem, via patentior, quam per regionem ejus maritimam? Vero non absimile est, ad *Clausenti* Sinum, aut Litus ei proximum, orientem versus, appulsos, e Navibus eos in arenam descendere; ut & Terræ potitos, illam ipsam in potestate servare: eo nimirum, ut ne in patriam reditus, neve cum ea commercium intercluderetur. Quid quod ipse *Cæsar*, haud ita multo post, quam *Belgæ* huc commigraverint, de hujusmodi profugis in *Britanniam* * affirmavit, [*Eos maritimam in hac Insula partem incolere.*]

Coluere Belgæ.

§.

* *De Bello Gallico, Lib.* V.

§. XIII.

HOC a *Ptolemæo* tam magnopere confirmatur, ut *Rhegnis*, e contrario, in *Durotrigum* viciniam admissis, celeberrimus ille Geographus sibi vix constare videatur. Repetamus ejus supra laudati verba, Βέλγαι —— Τούτων δ' ὑπὸ δυσμῶν καὶ μεσημβρίας Δουρότριγες. id est, *Belgis versus occasum & Austrum Durotriges.* Unde patet, a *Ptolemæo*, Nationum Regionibus assignandis maximam partem perito, *Rhegnos*, ut *Durotrigibus* conterminos, non exhiberi. Contra, illum asserere [*versus Occasum & Austrum, post* Belgas, *esse* Durotriges.] Hoc autem posito, *Hantoniensis* Agri partem maritimam, ætate *Ptolemæi*, non a *Rhegnis*, sed a *Belgis* habitari, certissimum est; quando illi, & quidem uni, versus occasum, ὑπόκειν.) *Durotriges:* Quod & ipse *Camdenus*, sui non nimium memor, non procul a loco jam citato, asserit, hisce verbis, [Durotrigibus *ad Septentriones, & Ortum, prætendebantur olim Belgæ.*]

Quod ex Ptolemæo *liquet.*

BELGIS igitur, remotis hinc ad Septentrionem *Cangis*, illinc ad Orientem *Rhegnis*, Regio sua, quasi postliminio, restituatur.

CAP.

CAP. II.

De Belgii *nostri* Fluviis.



De Fluvio Sabrina.

ELGII occidentalis latus Septentrionale *Sabrina* alluitur: de qua, priusquam de *Fluviis* minoribus, nonnihil edisseram.

SABRINA, a *Tacito* memorata, ducitur a veteri *Britannica* voce *Sabr*, quæ *Armorica* Dialecto servata, significat *Arenam*. Nihil enim hoc Fluvio rapidius, nihil *Arenam* magis devolvens. Oritur ille, cum Fluviis duobus aliis, ex radice Montis altissimi, apud *Ordovices*, *Plym-Llimmon* hodie dicti, in Principatu jam diu *Povisia* nuncupato. Circuitu longe facto, versus Septentrionem, *Uriconium*, (*Shrewsbury*;) dein *Brannogenium*, (*Worcester*;) deinde *Glevum*, (*Glocester*;) nobilis Flu-

Fluvius, uni *Tamesi* secundus, adlabitur. Ubi *Dobunorum* innatat Terræ *(Glocester-shire)* latius se extendit: at magis infra, cum *Belgium* adtingit; auctus scil. a Septentrione, Fluvio *Vaga*, *(the Wye)*: a meridie, *Avona (the* River *Avon)*. Hic loci ille *Trajectus*, qui *Romanorum* temporibus insignis, iisque utilissimus fuit: eo enim ab *Olbury*, ad Ripam oppositam (quæ duo circiter milliaria distant a se invicem) statuto, magna hic tam pace, quam bello, rerum fuit Trajectio: Nunc Copiæ, nunc Annonæ, nunc Ferrum e Fodinis crudum, nunc in Fornacibus coctum, nunc Arma militaria transvehebantur, a *Venta Silurum* cæteraque eorum regione, ad *Aquas Calidas*, & in iis præcipue Fabricam, & in omnem *Belgii* Regionem; sic, ut etiam ex contrario multa. Sed in Bellis maximi usus fuit hæc Trajectio, cum *Silurum* Gens, super propriam ferociam *Caractaci* viribus confisa, non nisi Castris Legionum (ut refert *Tacitus*) premenda foret, & ab *Ostorio* peteretur: vel cum a *Julio Frontino* (quod probabilius) subigeretur. Cum *Belgium* adluit *Sabrina*, Fluvio *Osca (Usk)* in se admisso, ad latitudinem trium leucarum expanditur; & paulatim magis; ubi scilicet

De Trajectu.

De Uzella. licet Æstuarium *Uzella* dictum. Nomen illi Græcum apud *Ptolemæum*, Ουέξαλα ἔκχυσις; quod a *Frontini* militibus forte impositum, cum in subigendis *Siluribus* occupati Fretum hocce crebro transfretaverint. De nominis ratione dicam mox: sed hic loci præterire nequeo, *Uzellæ* Æstuarium, male a Clariss. *Cellario*, ubi apud *Dunmonium Herculis* est Promontorium (ut & hocce nomen longe versus occidentem) adfigi; cum revera *Iscæ Silurum* ex adverso sit. *Sabrina* inferius se paulatim coarctat, ubi extremitas *Belgii (Minehead)* opponitur *Bovio, (Boverton.)* Late tunc in *Silurum* terram irrumpens, sinum facit duplicem; in quorum altero *Tobii* ostium, *(the Mouth of the River Towy,)* & *Barry* Insula. Inter *Herculis* Promontorium, & quod illi opponitur, *S. Goven*, (quæ leucas circiter duodecim distant) ore aperto se exonerat in Oceanum, qui a *Ptolemæo* dicitur Ὀυερνάιος, & Ὀυερνίνιος.]

§. II.

De Fluvio Tona: *ubi oritur.* *TONA* Fluvius in *Belgio* occidentali oritur, sive potius ipso *Dunmonio*: Nam in occasum non tam olim exporrigi *Belgium*

gium, atque nunc Comitatus *Semerſettenſis*, ſupra retulimus. Ex monte oritur, qui hodie *Clotworthy* dictus, Familiæ ſui nominis amplæ, & honeſtæ, quæ per *Dunmonium* & *Hiberniam* late ſe diffudit, nomen dedit, vel ab ea cepit. Non procul ab origine præterfluit oppidulum, olim *Wivelſcomb*, nunc autem breviter *Wilſcomb*, appellatum; quaſi *Wivelli* Vallicula: Ea profecto vocabuli Etymologia maxime probabilis; *Comb* enim, *Britannice Kum*, ſitum loci depreſſiorem indicat, & nunc in nominum initio, ut in *Comb-Martin*, *Comb-Flory*, *Comb-St. Nicholas*, *Combwich* (alias *Com-wich*) *Comb-Rawley*, aliiſque: Nunc in eorum fine, ut in natali noſtro *Nettlecomb*, in *Holcomb*, *Aſhcomb*, *Vowelſcomb*, *Branſcomb*, *Illford-comb*, *Withicomb*, *Crowcomb*, *Timbercomb*, *Salcomb*, *Luccomb*, &c. reperitur: adſcito ſcil. interdum Herbæ cujuſdam, interdum Arboris, eo loci abundantis; ſæpe vero, ut in hoc caſu noſtro, Poſſeſſoris nomine. Hujuſmodi locorum Nomina, in Comitatu *Somerſet*, *Devon*, & *Cornubienſi* (1) frequen-

Comb *quid ſignificet.*

(1.) *Vide Regulas generales de Nominibus Locorum Chronico Saxonico ſubnexas: voce* Comb.

quentia, *Britannos* ſedibus exutos, ibique Salubritatis ergo conſidentes, iis impertiviſſe, (quæ Reverendi admodum Epiſcopi *Lincolnienſis* eſt Sententia) probabile reddunt.

VERUM e diverſo per hæc Nomina, (1.) qui in iis locis *Caſtra* fuiſſe intellegunt, operam (uti mihi videtur) egregie ludunt. Neque enim ita ſentientibus, ſive rei, ſive nominis ratio favet: Non Rei, quando *Caſtra* in locis editioribus, ſive planis, ſolebant eſſe; *Combæ*, uti dixi, in depreſſioribus: porro *Combæ* ſunt quamplurimæ, ut in *Belgio* occidentali, & *Dunmonio*, ubi veterum Caſtrorum a *Romanis* exſtructorum nulla omnino veſtigia cernuntur. Et, ſi vocabula ſpectemus, *Comba* cum *Caſtro* nihil habet affinitatis.

Romanos *ſtationem habuiſſe apud* Wilſcomb,

INTEREA minime negandum eſt, *Romanos* hoc terræ tractu verſatos, ſtationem in eo forſitan habuiſſe: quod oſtendit Olla Nummorum plena, non ita pridem ibi effoſſa: quorum aliquot ad me delatos, *Diocletiani Aug.* & *Maximiani Nob.*

(1) *Vide Villare Cantianum* Thomæ Philipot *Armig. pag.* 162, 3.

Nob. esse reperi; proindeque Imperio in *Britannia* vergente *Romano*, fuisse conditos: qua nimirum ætate *Romanis*, hinc in alias Provincias evocatis, (proculdubio spe reditus) Thesauros sub Terram abdere, quod Historici tradunt, in more fuit. [*Anno* CCCCXVIII, *ait* Chronicon Saxonicum, Romani *coacervarunt omnes qui essent in* Britannia *auri thesauros, ac partim in terram occultabant, ubi nullus reperire posset, partem in* Galliam *secum asportarunt.*] Sed, qui ad rem nostram propius accedit, ita *Willielmus* (1.) *Malmesburiensis* [*Scotorum & Pictorum incursione mortales multi cæsi — turbati Insulani, qui partim sepultis thesauris, quorum plerique in hac ætate defodiuntur,* Romam *ad petendas suppetias ire intendunt.*] Hoc autem A. D. factum est CCCCXLIX. Post *Romanorum* ex hac Insula discessum, eorum pecunia non abscondita utebantur aliqua *Britanni*, quam etiam, sub adventum *Pictorum* & *Scotorum*, humo mandavere. Raro post hæc in communi usu, apud *Britannos*, *Romana* fuit pecunia: suffecta, in ejus locum, est *Saxonica*. Nam de Nummo veteri *Bri-*

Ostendunt Nummi, ibi inventi.

Quo tempore desiit usus Romanæ *apud nos pecuniæ.*

(1.) *Lib.* 1. *Cap.* 1. *De Gestis* Regum Anglorum.

Britannico, (cujus in permutationibus usum memorat *Julius Cæsar*) constat eum, edicto *Romanorum* Impp. [*Ne quis in* Britannia *Nummis*, *nisi signatis* Cæsarum *Imaginibus*, *uteretur*,] de quo edicto (1.) *Gildas*, fuisse jam olim suppressum.

AB hoc oppidulo *Tona* labitur orientem versus, & Rivulis hinc illinc aucta, Vallem permeat, (in qua *Taunton-Dean*) omnium fertilissimam, frugum & fructuum ubertate celeberrimam, neque Agro sive *Brabantico* sive *Longobardico* facile cedentem. Hic *Tauntonæ*, Lanificiis celebri, nomen dat. Milliarium cursu pene recto, circiter XX, a prima scaturigine confecto, nonnihil ad Boream flectens, se cum *Jvello* miscet. *Tonæ* fluvio, in *Jvellum* illapsuro, adjacet *Athelney*, locus in Paludibus eminentior, & qui olim non nisi difficulter adiri potuit. Huc *Ælfredus* Magnus ille *Saxonum* occidentalium Rex, a *Danis* in fugam actus, se corripuit, & in Bubulci tugurio delituit: qua de re plura, in (2) Dissertatione, de hujus Regis Cimelio ibi dudum invento. De *Athelney* notandum est, non ejus situm in angulo fluviorum *Tonæ* & *Jvelli* con-

Tona *adluitur Regio fertilissima*:

In qua Athelney.

(1.) *In Historia. Sect.* V. (2.) *Fine Vol.* II.

confluentium acuto esse, quod a Clariss. (1.) *Spelmanno* dictum; sed extra, in angulo obtuso, prope *Tonam*: Deinde, Nomen ejus primum *Athelney* fuisse; quod, ob Nobilium ad Regem *Ælfredum* ibi concursum, in *Æthelingaigge* (*Saxonice* vox hæc Insulam Nobilium significat) mutatum est: postea nomen antiquum in usum denuo revocari; non autem (quod *Cl.* (2) *Camdenus* innuere videtur) locum hunc initio dici *Æthelingaigge*.

§. III.

JVELLUS Fluvius in *Durotrigum* terræ illa parte oritur, quæ nunc *Strangwaiorum* est Vivarium, amplissimæ & ditissimæ illius Gentis hæreditas, & Domus altera, sane quam augusta, *Melbury* nominata. Flexiones & diverticula Fluvius iste permulta habet, donec in Septentrione, facto circiter sexaginta milliarium decursu, in Fretum *Sabrinianum* influit. Non longe a Capite, propter Aquæ rivum, *Jvellus* est oppidulum, a Fluvio nomen

De Jvello *Fl.*

(1.) *The Life of King* Ælfred *the Great*, *Lib.* III. *Sect.* II. (2.) *Vide ejus* Britanniam, *in Comitatu* Somerset.

men accipiens; qui declinante, sæculis hisce novissimis, *Ischali*, (ut ex aliis aliæ nasci solent Urbes, Provinciæ, Regna, & Imperia) non parum auctus est; hodieque Lino, quo abundat ea regio, sabulone rubicunda, & ex eo confectis, in foro venum datis, celeberrimus est.

§. IV.

De Cado Fl.

CADUS in *Jvellum* se exonerat; qui ab oriente currens, apud originem *Camaletum* habet, tam arte, quam natura collem munitissimum: de quo subter in suo loco. Paulo infra confluentiam, *Ischalin* præterfluit, Urbem olim præclaram, neque nunc ignobilem, utpote in qua conventus sint de Repub. frequentes; eique nomen imponit *Ivel-Chester*, vulgo *Ilchester*. Deinde, accedentibus uno alteroque ex aquilone Rivo, *Tonam* complectitur, sinu suo fovet, & juncta aquarum vi in *Sabrinam* effunditur.

§. V.

De Bryo Fl.

PROPE effusionem ostio vicino *Bry* fl. se exonerat: oritur hic Fluvius in oriente juxta *Sturiodunum* (*Stourton*;) ubi cer-

cernuntur hodie Munitiones; ſed utrum hæ *Romanæ*, an *Saxonicæ*, an *Danicæ* ſint originis, id neutiquam apparet. Hac regione Pagus eſt *Charlton-Muſgrave* (liceat enim mihi pro Domo mea orare) qui a noſtris Hominibus, ibi ſedem, ducentis ante annis & quod excurrit, habentibus, cognomen trahit: in Tabula *Speediana*, ne dicam alias, id excuſum eſt, ut ab aliis in vicinia *Charltonis*, (qui numero quamplures ſunt) diſtingueretur. Retinetur Nomen, at Hæreditas, ex defectu generis maſculini, per fœmininum alias avertitur.

OPPIDULUM *Bruton*, quaſi *Bryton*, ab hoc Fluvio nominatur: Fluvius hic, cum *Ivello* dicam, an *Pedredo*, (nam utrumque nomen in uſu fuit, ſed hoc recentius) eodem alveo, nonnunquam *Evelmouth* appellato, ſe in Æſtuarium fundunt; quod a Græcis Οὐέξαλα, Latinis *Uzella*, & nonnunquam *Vaxalla* dicitur: quorum primum, a poſtremo duci, videtur; ut & medium, literis aliquantulum mutatis. Οὐέξαλα ἄσχυπς cum ſit apud *Ptolemæum*, qui ſub *Antonino Pio* floruit, probabile eſt a *Julii Frontini* militibus (qui in *Siluribus* ſubigendis occupati, commeatum e *Belgio* mari tranſvectum acci-

Nomen Οὐέξαλα *datum a* J. Frontini *militia.*

 perent)

perent) Fretum hoc *Sabrinianum* iterum atque iterum navigantibus, id Æstuario fuisse nomen inditum; sæculo jam a *Christo* exeunte primo; ante *Ptolemæum* dimidio. Hi duo Fluvii, *Bryus* scil. & *Ivellus*, seu *Pedredus*, una cum iis, qui in illos sese fundunt, planitiem illam in *Belgio* occidentali pinguem & lætam, ab oppido *Wilscomb* ad *Bruton*, XXVII circiter milliaria longam, ab *Ivello* oppido ad Fretum usque XXV milliaria latam, irrigant, & mira fertilitate donant.

§. VI.

De Axa Fluvio.

FLUVIUS de quo proxime verba faciemus, *Axa*, & interdum *Vexalla* dicitur: ex *Ogonis* Antro effluit, ipsumque illud Antrum, Aquarum mutato cursu, fecit. Nam cum olim (dicam, quod mihi verisimile videtur) ex ore superiori, quod Antri nunc est, erupit Aqua, nullum omnino fuit Antrum: postea vero subtus erumpente, & Antri, quod nunc est, a latere Rivo effluente, (qui etiamnum intimo ejus penetrali, tum auditur, tum etiam visitur) Antrum est effectum.

DILAPSUS aliquot milliaria Fluvius, Oppidulo nomen *Axmister* impertit: De-

Deinde, cursu sinuoso in *Sabrinam* se, exadversum Insulæ *Steepholms*, effundit. Oppidulum istuc olim appellari *Vexam* (a Fluvio procul omni dubio) tradit *Harrisonius*: qui de Fluviis *Britannicis*, ex *Lelando*, scripsit omnium enucleatissime. Verum, uti patet huncce Fluvium aliquando dici *Vexallam*, ab ejus ostio, non procul a *Pedredi* (sive *Ivelli*) *Bryique* concurrentium ostio communi, in Fretum *Sabrinianum* aperiente, *Ptolemæus*, opinione nostra non satis accurate, nomen Οὐέξαλαν, quod est istius Fluvii nomen, huic attribuit Æstuario; ut & eum qui sequuntur, omnes. Ptolemæi *Error*.

§. VII.

AVONA sequitur; cujus Nomen *Britannice* Fluvium generatim acceptum, hic cum Latina terminatione speciatim hunc Fluvium, ut alibi similiter alios, significat. Oritur hic Fluvius in *Belgii* ea parte, quæ maxime in septentrionem exporrecta, *Dobunorum* terræ contermina est: unde se ingenti ambitu incurvans, Fluvios minores ex utraque parte accipit; quibus insigniter abundans, tandem eo descendit, ubi via militaris a *Verlucione*, De Avona *Fluvio*.

(Westbury) eum oblique secat, & alii mox a *Durocorinio (Circiter)* juncta, *Aquas Solares*, pari fere a Fluvio distantia, contendit. Uno ab Urbe lapide, Fluvio (sic, uti Viæ) *Julii Vitalis* Sepulcretum adjacet; de quo [1] alibi. In flexu ejus notabili, tamquam in Amphitheatro, Urbs est. Hinc in *Sabrinam* præcipitans, in ejus gremium post decem milliaria cupide recipitur.

NATIONES *Britannicæ* Fluviis sæpenumero distinguuntur, earumque Termini signantur; nimirum, quoad ejus fieri potest: quod tamen hic aliter multo: Nam *Belgium* hic ultra *Avonam*, extenditur; quod ostendunt *Aquæ Solis*, ejus (affirmante *Ptolemæo*) Urbs, ultra *Avonam*, eo ejus latere, quo sunt *Dobuni*, posita.

TRADIT *Tacitus* [*effusis in agrum Sociorum hostibus, detrahere arma suspectis, cinctosque castris* Antonam & Sabrinam *Fluvios cohibere (Ostorium) parare.*] Mirum, quantum hic locus Interpretum exercuit ingenia. Qui *Autonam* hic pro *Aufona (Nen, Northamtonæ* Fluvio) poni volunt, non attendere videntur, istam *Au-*

---

1 *In Vol.* III.

Aufonam, meditullio ortam, in Oceanum *Germanicum* adeo recta tendere, ut ea, cum *Sabrina*, utcunque communita, hoſtes nequeant cohiberi. Pro *Aufona* proculdubio legendum *Avona*, & Præpoſitio *inter*, quæ tranſcribentium incuria videtur in MSS. omitti, reſtituenda: ſicque legendum [*Hoſtes*, *cinctos caſtris*, *inter* Avonam & Sabrinam *Fluvios*, *cohibere* [Oſtorius] *parat*.] Omnino hic loci Præpoſitio neceſſaria, qua reſtituta tenebræ diſpelluntur: Vult enim *Tacitus*, [Oſtorium *hoſtes*, *quorum magna pars* Silures *erant*, *in* Dobunorum *agros*, *qui* Romanis [1] *Socii erant effuſos*, *Caſtris cinctos ex intervallis*, *inter Fluvios hoſce cohibere velle*.] Quæ utique ſignificatio, & cum Hiſtorici mente, & decurſu Fluviorum, cum primis convenit. *Romanis Avonam* hancce magno fuiſſe præſidio tutelæque, ſic, ut Prætenturæ vicem habuerit, probabile eſt. Taciti *emendatio*.

§. VIII.

FLUVIIS iis, qui in occidente & ſeptentrione ſe exonerant, abſolutis, ad eos Ptolemæi Τριστάνης.

1 *Vide* Camdeni Dobunos, *in initio*, & Dionem, *Lib.* LX.

eos circuitu facto jam denique transibo, qui in Oceanum *Britannicum* decurrunt. Horum primus Τεισάνων a *Ptolemæo*, *Tesse* hodie dictus, longe a mari oritur, per regionem amœnissimam fluit, & cursu non multum impedito, amnicas plures facit insulas; donec in sui nominis Æstuarium aperit. Alium paulo infra Fluvium recipit hoc Æstuarium; qui tametsi nullo a veteribus nomine, quod ad nos pervenit, insignitus, Urbibus claruit duabus, quarum altera *Venta Belgarum* (*Wint-chester*) supra adjacet; altera *Clausentum*, (*Old Southamton*) infra prope Æstuarium.

§ IX.

Alauna, *sive* Avona *altera*.

HINC in occidentem eunti, *Avona* dicam *altera* se ostendit, an *Alauna*? Hoc illi nominis in Anonymo *Ravennate*, & *Ptolemæo*, quorum forsan autoritate ductus, idem usurpavit Doctissimus *Camdenus*; prius illud *Lelandus*, *Harrisonius*, aliique complures. Nolo in re tam obscura, neque magni momenti, tempus impendere. Quilibet ingenio suo, per me fruatur. Unum hoc adjiciam, in *Britannia*, secundum *Camdenum*, plures *Avonas* esse Fluvios; & secundum *Ptolo-*

mæum

mæum Ἀλαίνον, Ἀλαύνον, Ἀλαύναν: ut in hiſce Fluviorum nominibus decipi, ſit facillimum; nec quidem gravi culpa.

ORITUR hicce Fluvius ſupra, apud *Wolf-hall*, non procul ab *Atrebatiis*; ubi *Sancto-Mauri*, Gens Honoribus & Divitiis ampla, ſedem olim habuere. Hinc ad mare, recto fere tramite feſtinans, *Sorbiodunum* alluit; deinde *Sturam* (*the River Stour*) accipiens, in *Britannicum* effluit oceanum. Ante vero quam effluat, per milliaria aliquot *Durotriges* a *Belgis* ſeparaſſe, & hiſce Populis terminos ſtatuiſſe, non immerito credi poteſt. Hujus & *Triſantonis* oſtia dicuntur a *Ptolemæo*, Ἀλαίνε & Τεισάνσων ποτ: ἐκβολαὶ.

Hæc de Fluviis *Belgii* noſtri, veteribus notis.

CAP.

CAP. III.

De Belgii *Divisionibus.*

§. I.

Belgii *pars a* Segontiacis *olim habitata.*

ETSI per multa annorum sæcula *Belgii* nomen apud nos duravit, Terræ tamen ille tractus, qui eo significatur, hoc tempore varias, non re solum, sed & nomine tenus, mutationes subiit. Ut ab initio rem hanc deducam, *Belgium* nostrum, ut in Tabula depictum est, includit illam Regionem, quam olim *Segontiaci* tenuere, quorum Metropolis *Vindonum*, hodie *Silchester*; (de quo posthæc in *Urbibus*). Populus iste [1] *Julio Cæsari*, una cum *Ancalitibus*, *Bibrocis*, *Cassiis*, aliisque, missis legationibus, sese dediderunt. A *Belgis* autem, quod verisimile domiti subjectique, (ut erant *Britan-*

1 *De Bello Gallico, Lib.* V.

tannicarum inter se nationum bella frequentissima, & omni imbuta odio) usque adeo ab iis exstincti sunt, ut præter eorum nomina, vix quicquam hodie supersit. Terra eorum veteri *Belgio* fuit, jure belli, additamentum.

§. II.

BELGII pars alia est in continente mediterranea, alia prorsus Insularis, scil. *Vecta*; quæ omni fere ævo ad *Belgium* (uti nunc dierum ad Comitatum *Hamshire)* pertinere judicata est: Etsi enim ante *Belgarum* in eam descensum, uti etiam post *Romanorum* ex ea discessum, (quod a *Guil.* [1] *Harrisono*, viro certe literato, & in describenda *Britannia* diligenti, *Lelando* uti suspicor, Auctore, pronunciatum) Regibus suis subjecta fuit; stante tamen tum *Belgarum*, tum *Romanorum* apud nos imperio, *Belgio*, tamquam illius pars, annexa est: & quidem merito, nam illius est quasi Propylæum; quod, qui *Belgium*, vel eo loci *Britanniam* aggredi conentur, auspicato (ut de *Vespasiano* constat) aggrediuntur. *Illius alia pars Insularis.*

1 *Description of* Britain, *Chap.* X.

§. III.

Unde Severia *dicta sit, ambigitur.*

BELGII pars illa quæ *Sorbioduno* adjacet, a nonnullis *Severiæ* nomen obtinuit: Sed quo auctore, quave de causa, clam me est. [Severiani, *inquit* Nicolaus [1] Lloydius, *vulgo* Wilt-shire-men: *teste (cognomine suo)* Lhuydo, *quorum Urbs* Severia, Salisbury, *Urbs* Angliæ *inter* Wintoniam & Dorcestriam]. *Sorbiodunum* vult, quæ Urbs est inter *Ventam Belgarum* & *Durnovariam*; sed viam militarem calcantibus; nam recta euntibus longe devia est. Qui hocce nomen a *Severo* Imp. trahunt, tamquam ibi moras agente, nugantur omnino, & a viro nasuto acrique D. [2] *Wharton*, non immerito irridentur. Si quid huic nomini a *Severo* insit, Beneficio cuidam ab Imperatore collato, ut erat ille beneficus, optime potest attribui. In *Lelandi* [3] Commentariis legimus [Wilshire *olim dicta* Severia, *propter Gentis sævitiam.*] Sed in margine [*Ridicula Interpretatio, cum* Severia *a* Severo Imp. *dicta.*] Rem obscuram *Oedipo* cuidam in medio relinquam.

§.

---

1 *Dictionario Historico-Geograph.* 2 *V. Antiquitates* Rutupinas. *Pag.* 64. 3 *Collectaneorum Tomo Secundo, Pag.* 397.

§. IV.

NOTAT Doctiſſ. *Galæus*, ex *Catullo*, [Romanos *Inſulam hanc noſtram* & Britanniam & Britannias *dixiſſe*, *imo antequam in plures Provincias dividebatur*: Deinde [Britanniam *a* Severo *per Aggerem a* Clauſento *ad* Gabroſentum *ductum*, *ita dividi*, *ut omnis Regio*, *ad orientem iſtius Aggeris*, *eſſet* Britannia Prima, *quæ propius Mari et* Romæ *adjacet*, & *quæ* Dioni *eſt* ἡ κάτω; *illa autem ad Occidentem* Britannia Secunda, & Dioni ἡ ἄνω.] Secundum hanc Diviſionem erat *Belgium* propemodum omne in *Britannia Secunda*: nimirum omne, excepta *Vindomi* Urbe, & angulo illo *Belgii*, qui in orientem maxime ſe inſinuat.

Belgium *pæne omne in* Britannia *ſecunda*.

CAP. IV.

De Belgii *nostri* Urbibus.

§. I.

Urbes in Britannia quales ante J. Cæsaris adventum.

URBES in *Belgio* nostro, ne dicam in *Britannia*, quales essent, ante *Julii Cæsaris* adventum, optime ex illo Auctore, harum rerum oculato teste, & ex *Strabone* disci potest. [*Oppidum*, 1 inquit ille, Britanni *vocant*, *cum Silvas impeditas vallo atque fossa munierunt*, *quo incursionis hostium vitandæ causa*, *convenire consueverunt*.] Hoc autem non tam Urbs populo habitata, quam Munitio videtur, qua is adversus hostem se defenderet, & tutum præstaret. 2 *Strabo*

1 *De Bello* Gallico, *Lib.* V.
2 *Geogr.* *Lib.* IV. *Ed.* Amstel. MDCCVII.

bo ad rem noſtram apertius [πόλεις δ' αὐτῇ εἰσὶν οἱ δρυμοί· περιφράξαντες γὰρ δένδρεσι κατεβεβλημένοις ἄρυχωρῆ κύκλον, καὶ αὐτοὶ ἐνταῦθα, καλυβοποιοῦνται, καὶ τὰ βοσκήματα καταγαθμίζουσιν, ἐπὶ πρὸς πολὺν χρόνον.] id eſt, *Urbium loco ipſis* (de *Britannis* loquitur) *ſunt nemora: Arboribus enim dejectis ubi amplum circulum ſepierunt, ipſi Caſas ibidem ſibi ponunt, & pecori ſtabula condunt, ad uſum quidem non longi temporis.* Καλυβοποιοῦνται, *i. e.* ex interpretatione *Budæi*, Gurguſtia ſive Caſas faciunt. Enimvero *Londinium*, hodie totius univerſi Urbs ſine dubio ampliſſima, Baſilicis ornatiſſima, Populo refertiſſima, annis abhinc bis millenis abundavit Tuguriis, Caſis, & Gurguſtiis.

§. II.

ROMANI vero, rei militaris ſtudioſi, ut arte ea, quam omnium maxime calluere, victorias adipiſcerentur, ſuoque hanc Inſulam adderent imperio locos eligebant hic illic ſiccos, ſed ubi pabuli & aquæ ſuppeteret copia, ad Caſtra idoneos; valloque eos cingentes, aliaſque munitiones adhibentes, in eos ſeſe contraxere ad ſui defenſionem: Hinc in hoſtes ſubito irrupere, & inopinato ſæpe oppreſſere. *Ex* Romanorum *Caſtris Urbes.*

Quis

Quis in eorum Castris Portas quatuor, pari fere inter se distantia constructas; quis spatium ad vallum, quis Prætorium, quis Principia, quis Areæ reliquum pro militum ordinibus artificiose divisum observabit, & Urbis hodiernæ hæc esse rudimenta, ne dicam (ex *Vegetio*) *muratam* hanc *civitatem* esse, non opinabitur? Certe ex his initiis pleræque e nostris Urbibus cepere origines. Castra hæc, quod in plerisque constat, evasere Urbes, hodieque nomen *Chester* retinent: ad earum formam & modum aliæ postea complures sunt compositæ. Hæc de *Urbibus* his in Universum.

§. III.

Quorum in Belgio numerus censetur.

SPECIATIM, Urbes sunt *Clausentum* (old South-Hampton); *Venta Belgarum* (Winchester); *Vindomis* (Silchester); *Brige* (Broughton); *Regnum vetus* (Ringwood); *Sorbiodunum* (old Sarum); *Cunetio* (Kennet); *Verlucio* (Westbury); *Ischalis* (Illchester); *Aquæ Solis* (Bath): de quibus singulatim.

§.

§. IV.

BRIGE apud *Antoninum* occurrit, & *Venta Belgarum* M. P. XI. *Sorbioduno* M. P. VIII, (quod a veritate non multum abhorret) distare dicitur, iis interposita: Hujus Urbis hodie nulla sunt vestigia; sic, ut de situ ejus sit dubitatio. Doctissimis *Camdeno* & *Galæo*, quos hac in parte sequor, eam ibi fuisse visum est, ubi Viculus nunc dierum *Broughton*, in *Gate-Hundred*, Comitatu *Hamtoniensi*; nimirum illo terræ tractu, in quo sedem habet Vir spectabilis *Robertus Eyre*, Eq. Auratus, unus e Banci Regii Justitiariis, & soli natalis, & Regni Ornamentum. Via per hanc Urbem Militaris fuit, quæ ultro citroque itinerantibus commodissima, sic, ut Urbs ipsa defessis & anhelantibus solatio fuit. Quicquid a *Sorbioduno* Calcariæ, quicquid a Fabrica *Bathoniensi* rei Ferrariæ, (ne dicam alia quamplurima) ad *Clausentum*, in nationes exteras exportandum, veheretur; quicquid etiam e contrario rerum externarum ad *Sorbiodunum*, ad *Aquas Solis*, aliasque *Romanas* hac in regione Munitiones, *Clausento* importaretur, hac via, perque hoc oppidulum, id

Brige;

reficit itinerantes.

id ferri probabile eſt; ut & horum itinerantium ergo, (nempe ut medio, *Ventam* inter & *Sorbiodunum*, itinere reficerentur) ipſam originem cepiſſe *Brigen* non eſt improbabile, idque ſub Imperii *Claudiani* exitum.

§ V.

Clauſentum. *CLAUSENTUM* ad oſtium Fluvii *Itchin*, ubi ſe in æſtuarium ille *Triſantona* effundit, ſitum, plane ad Mercaturam fieri videtur: Etſi enim Fluvius iſte navigia minime unquam actuaria tulit, tamen illius ſitus in oſtio iſtius Fluvii, & ad illud Æſtuarium, (in quo Viam militarem alteram a *Venta Belgarum* accipit, alteram ad *Regnum* mittit, quibus ultro citroque Merces tam exportandæ, quam advectæ, portari poſſent) abunde monſtrat, Urbem iſtam Mercaturæ, cui, præſertim *Gallicæ* nuperis hiſce ſæculis ſervivit, ab initio fuiſſe dicatam. Origines ejus proculdubio ſunt ab eo tempore, quo in *Britanniam Galli* primum transfretantes, hoc ſinu e navibus deſcenderunt. *Veſpaſiano* ex ſitu commodum fuiſſe judico, cum ex Inſula *Vecti* exercitum ille in *Belgio* expoſuit. *Belgii* noſtri *Clauſen-*

tum

tum fuit Emporium; quo tum ἐξαγώγμα, tum εἰσαγώγμα, de quibus ſpeciatim infra, confluxerunt. Diſtabat autem milliare integrum aut amplius, a ſitu Urbis *Southampton* hodie nominatæ, ea ſcil interior. Munitionum etiam nunc veſtigia reſtant, appellata *Beavis-hill*, ac ſi *Belloveſo*, hujus Regionis *Herculi* ſe debuiſſent: His opponitur *Romana* ſtatio apud *Bittern*, quæ venerandæ antiquitatis notas oſtentat.

§. VI.

ATREBATIIS & *Cantiis* ſubjacere *Regnos* aſſerit *Ptolemæus*, & *Antoninus* a *Regno Clauſentum* eſſe M. P. XX. tradit. Nullus dubito, quin ante *Belgarum* e *Gallia* in *Britanniam* adventum, oram circa *Clauſentum* maritimam *Regni* incolerent, & ad Fluvium *Avona* congregati Urbem ibi qualemqualem ſtatuerent: poſtea *Belgæ* in eam navibus exſcendentes, *Regnos* ab iſto ditionis ſuæ angulo verſus orientem expellerent, *Regni* nomen a primis ejus conditoribus ſervantes. Hoc ni daretur, neſcio quo pacto *Cæſari* & *Ptolemæo*, ex altera parte ſtantibus (ut in Capite primo oſtendimus) ſatisfieret. Certe Regnum *vetus.*

qui oram hanc a *Regnis*, meditullium a *Belgis* ſimul ſemelque teneri volunt, *Belgarum* omne commercium cum *Gallis* intercludunt, Auctorumque illi nobiliſſimo pari ſe opponunt.

§. VII.

Vindomis Segontiacorum *Metropolis:*

SEGONTIACI Metropolim habuere *Vindomin*, ab *Antonino* dictam, a *Camdeno Vindonum:* Erant illi *Regnis* & *Bibrocis* finitimi, & ex eorum numero, qui legationibus miſſis *Cæſari* ſeſe dediderunt: Unde ab eo, in immortali ejus Commentario, memorati, nomen alias periturum, ad hunc uſque diem ab oblivione vindicatum habent. In *Gallia* caput Gentis ſuæ (Doctiſſ. referente *Galæo*) *Vindinum* agnoverunt, unde in his regionibus huic Metropoli gentile nomen, quod in MSS. aliquando *Vindini* legitur, impoſuerunt. Eum terræ tractum incoluere, qui ſecundum *Angliæ* diviſionem ab *Ælfredo* factam, appellatus eſt, *The Hundred of Holeſhot*. A *Veſpaſiano*, quod veroſimile, victi, & a *Romanis* tandem penitus ſubjugati, *Belgis* acceſſere, cum illis in unum corpus coaluere, & nomen ſuum amiſere: niſi quod eorum Metropolis a *Britannis*

Qui Belgis *acceſſere.*

1 *Caer-*

1 *Caer-Segeint* dicta, totius nationis veterem appellationem quodammodo retinuit.

PRÆCLARAM & magni nominis Urbem hanc fuisse, sat testantur reliquiæ; quæ tametsi vetustate obrutæ, priscæ tamen magnitudinis indicia servant. Plurimi hic Nummi, a Clariss. *Camdeno* effossi, *Constantini* jun. se fuisse confitentur. Averso latere *Ædificium* hic ab eo constructum ostendere videntur. Earum Inscriptio fuit PROVIDENTIÆ CÆSS. De *Constantino* alio Purpura hic induto, contra *Honorium* pugnante, in Presbyterum desinente, Capite demum truncato, plurima Fabulis purgata congessit Doctiss. *Camdenus*: quem vide. *Præclara fuit hæc Urbs.*

MURI sic satis integri hodie cernuntur, quos olim altiores fuisse constat. *Camdenus* enim has Antiquitates curiose spectans, in Angiportum, terra jam aggesta pæne obrutum, manum vix immittere potuit. Eorum ambitus est milliaria duo, terræ jugera numero octoginta comprehendens. Plurimæ hic effossæ In-

1 *Ut ex* Alfredo Beverlacensi, Hen. Huntingdonensi & Nennio *patet.*

ſcriptiones, quod dolendum, intercidere: ſupereſt una, quæ eſt hujuſmodi.

MEMORIÆ
FL. VICTORI
NÆ. T. TAM.
VICTOR CONIVX
POSUIT.

Quid autem ſibi vult, ἐπέχομεν.

§. VIII.

Cunetio. *CUNETIO*, ſecundum *Antoninum* (itinere XIV) a *Verlucione (Weſtbury)* diſtat MPXX, a *Spinis (Spene)* MPXV; quæ illius diſtantiæ Oppidulum *Kennet*, ea voce ſignificari contendunt: confirmat ipſius vocis ſonus & derivatio: quid enim aptius, quam a *Cunetio* derivari *Kennet*. Fluviolo ſui nominis alluitur, qui in occidente paulo altius ſcaturiens, *Spinas*, ubi ſtatio quondam militaris, præterfluit, & cis *Callevam (Henly)* in *Tameſin* Fluvium influit. De Lapidibus altis, immenſæ magnitudinis, quos *Diaboli Diſcos* appellat vulgus, plurimæ ſunt conjecturæ quarum unam [1] alibi tangam: De hujuſmodi

[1] *Cap.* XI.

modi aliis vide O. *Wormii* [1] Monumenta Danica.

§. IX.

VERLUCIO apud *Antoninum* occurrit, & *Cunetione* M. P. XV, *Aquis Solis* M. P. VI, distare traditur: quæ illius hinc atque hinc distantia, situm ejus eundem fuisse, qui nunc Oppiduli *Westbury*, demonstrat: His adde quod Fluvius, qui huic allabitur Oppidulo, a nonnullis *Were* appellaretur; quod vocabulum olim *Vere* pronunciatum est, & a *Verlucione* trahi, vel ei nomen impertiisse possit existimari. Veteris porro Urbis vestigia, quæ novæ adjacent, una cum thesauro Numismatum *Romanorum*, in iis effosso, idem confirmant. Hæc cum Oppidulo *Warminster* omnino fere desunt, non est quod ejus locum veteris fuisse *Verlucionis* (quod tamen Clariss. *Camdeno*, & secundum illum *Burtono* placuit) arbitremur: ex altera parte stat *Galæus*. Verlucio.

§.

---

1 *Lib.* I. *Cap.* IX.

§. X.

Ἴσχαλις

Ἴσχαλις a *Ptolemæo* memorata, non autem ab *Antonino*, (quod a Clariſſ. *Camdeno* perperam affirmatum eſt) Fluvio *Ivello*, ſive contractius *Illo* alluitur: (de quo in Capite præcedenti:) Unde nomen ejus *Anglicanum Ill-cheſter*. Terra circumjacens totius *Belgii* pinguiſſima eſt, & Bobus præcipue ſaginandis idonea: ex nullo enim *Belgii* (ne dicam *Britanniæ*) tractu Caro Bovina melior ad onerandas optimatium menſas, & ad Nautas alendos emitur: Unde magna vis ejus quotannis *Londini* venit, & ſale condita, Claſſariis, nunc in Mare *Balticum*, nunc in *Mediterraneum* navigantibus, annonæ eſt.

Veteres Britanni *neque Caſeum*,

PRÆTER hujuſce Paſcui fructum hunc commodiſſimum, *Romanis*, uti conjicio, Caſeum & Butyrum hæc regio, tamquam vectigalia, præſtabat. Utriuſque uſum in *Britanniam Romani* vel primum intulere, vel multum promovere. De Caſeo manifeſtum eſt ex [1] *Strabone*, illius conficiendi modum, apud *Britannos*, minime communem eſſe, ſed tamquam in ſecretis habitum. At *Romanis* huc

---

Lib. IV.

huc appulsis cum usui fuit ille frequentissimo (nam ex 1 *Spartiano* patet exercitum eo *Romanum* magna ex parte vesci, unde Caseum ille ponit *in Cibis Castrensibus*) hinc constat τυροποιεῖν in *Britannia Romanos*, idque postulante exercitu maximopere; exercitu inquam, cujus Præfecti gulæ & lautitiæ erant omnium deditissimi. Ut enim optimæ notæ Caseus hoc in Agro fieri ab antiquo solitus est, hinc *Romanos* hæc cupedia traxisse facile est arbitratu. [*Aqua & Pane simplici contentus Epicurus*, Caseum *addidit*, *quando* Genio *indulgere & sumptuosius convivari libuit* 2.]

BUTYRUM magis in dubio, sed quod explicatione brevi diluitur. Certissimum est, veteribus *Romanis* (florente scil. Repub.) *Butyri* nullum aut rarum fuisse usum; nescierunt illi, Lactis partes separandi modum. Quid, quod in *Athenæi Deipnosophistis*, omni fere ciborum genere saturatis, nulla omnino *Butyri* mentio. *Hippocrates* plus semel habet βούτυρον. Oleo *Romani*, illius vice, utebantur 3: Eo Carnes & Pisces, antequam assarent, (ne intestinus eorum & pro-

Neque Butyrum *habuere.*

---

1 *In* Hadriano. 2 *Vide* Gassendum, *de Vita & Moribus* Epicuri, *Lib.* VI. 3 If. Casauboni *Animadversiones in* Athenæi, *Lib:* X. *Cap.* X.

proprius humor effluereret) inungebant: uti etiam *Arabes*, ut ex *Averroe* constat. Sub initium Imperii *Romanis* in usu esse cœpit Butyrum, a Barbaris oriundum: Barbarorum primi, quantum scimus, *Scythæ*, qui Lacte plurimum alebantur, id ex Equino compararunt: Modum exhibuit sive *Hippocrates*, sive *Polybus*, Libro quarto [1] περὶ Νόσων: & ante illum [2] *Herodotus*. Sunt qui *Butyrum* initio Pharmacum, potius quam Cibum, esse volunt; & quidem [3] *Celsus*, secundum *Hippocratem*, eo non uno loco tam quam medicina externa utitur; sicut etiam [4] *Scribonius*, *Claudii* Imp. in expeditione *Britannica* Medicus; qui forte cum *Britannis* id omnium primus communicavit, vel iis commendavit. *Barbararum Gentium hic lautissimus Cibus*, (sic a [5] *Plinio* dicitur) *& qui divites a plebe discernat. Opsoniis pro oleo admisceri, ut & Placentis, Adipis vice*, tradit [6] *Dioscorides*.

Hoc iis forte commendavit Largus.

Ischalis *Origo.*

PROPTER hæc cibaria, non minus utilia quam grata militibus, reliquaque exercitui necessaria, quibus hæc Regio sem-

1 *Sect.* XXV.
2 *In Melpomene, Sect.* II. 3 *Lib.* IV. *Cap.* XV.
4 *Comp. Med.* XLIII. 5 *Lib.* XXVIII. *Cap.* IX.
6 *Lib.* II. *Cap.* LXXXI.

ſemper abundavit, & ad *Dunmonium* ut aperiretur via, fieri exiſtimo, quod *Ivelli* ripa Caſtrum, *Boadicia* cum ſuis jam devicta, exſtruerent *Romani*; idque demum in Urbem creviſſe. Hæc videtur hujuſce Urbis origo.

§. XI.

SORBIODUNUM a *Sorbis*, qui magna hic proveniunt copia, nonnulli ducunt: *i* Vocali, propter ἀφωνίαν (ut in *Novioduno)* interpoſita. Certiſſimum autem eſt, vocabuli partem poſteriorem ex Lingua veteri *Britannica* deſumi; in qua *Dunum* ſignificat *Collem*, hodieque in vernacula retinetur [*a Down*]. *Romani* in locis altis aridiſque Caſtra ponere ſolebant; quod ex *Vegetio* patet, & exemplis oſtendi poteſt innumeris. Doctiſſ. *Galæus*, *Sorbioduno* & *Regno*, *Belgii* noſtri Civitatibus, duas in *Rhætia* Stationes, hiſce noſtris ὁμωνύμας, in Tabulis *Peutingerianis*, ſeſe proxime excipere, notavit: unde arguit acutiſſime, noſtras haſce Civitates, a militibus in *Rhæticis* iis antea merentibus, nomen impoſitum accepiſſe: quod utique non improbabile.

Sorbiodunum, *unde ſic appellatum.*

§. XII.

Venta Belgarum,

DE *Ventæ* Etymologia, magna quidem, & adhuc ſub judice lis eſt. Alii ab *Albionum* [*Aven*] quod ſignificat *Amnem*, eam derivant: quoniam Urbs eſt ad Amnem poſita. Hoc autem nimis peregrinum; Urbes enim in *Britannia* fere omnes, hac ratione *Ventæ* dicerentur, utpote juxta Amnem aliquem exſtructæ. Longe probabilior eorum opinio, qui *Ventam* a veterum *Britannorum* [*Gwen*] deducunt; quod ſignificat *Album*. Creta, quæ in hac regione, præſertim in viis frequentibus, altis & tritis, quæ in Fodinis & apertis terræ viſceribus, maxime vero in oriente, ubi S. *Magdalenæ* Collis præruptus eminet, copioſa cernitur, admodum conſpicua, & ſpectatorum oculos perſtringens, *Albæ* ſeu *Ventæ* nomen huic Urbi potuit, quod a vero non alienum, impertire. Sic *Alba longa*, *Alba Regia*, & *Leucas* a Colore dicitur.

Unde dicitur.

BELGÆ in hanc Inſulam e navibus exſcendentes hunc locum adorti ſunt, & ab iis ibi commorantibus *Venta Belgarum* appellatur: uti aliæ *Ventæ* a populis, *Venta Silurum*, & *Venta Icenorum*.

UBI

UBI Ptolemæus enumerat *Belgarum* Urbes, ex iis una eſt ὄυενλα, quæ hujus Urbis prima omnium mentio, & in *Antonino* legitur *Venta Belgarum*. *Saxones* eam *Caer-Gwent* dixere, i. e. *Albam Urbem*, quæ a nobis ſtat derivatio. *Prima ejus mentio.*

DE hujus Urbis ſitu, nulla poteſt eſſe dubitatio, quando prædicti Auctores, Viæque militares, & locorum diſtantiæ, uno ore teſtentur, & omnino comprobent eum fuiſſe, qui Civitatis hodie *Wincheſter* appellatæ; magnique nominis eam apud *Romanos* fuiſſe, Nummi & Balnea, ibi detecta, ſatis confirmant. *Nummi in ea Romani, Balnea, & Textrina.*

SACRA hic Textrina fuit, ſive [1] *Gynæcium*, [*texendis Principis militumque veſtibus, naviumque velis, ſtragulis, linteis, & aliis ad inſtruendas manſiones neceſſariis accommodatum*] ut de eo [2] *Pancirollus*. Erat etiam *Procurator Gynæcii*, quod ex *Notitia* patet. Quibus hoc adjiciendum, huicce *Procuratori*, Canum item publicorum, ſive Imperatorum, fuiſſe curam : de quibus alibi.

CERTISSIMUM eſt, ætate [1] *Zoſimi*, tam in Pagis, quam in Urbibus eſſe Μοναχῶν συνήματα πολυάνθρωπα, i. e. *Cœnobia*

1 *Vide* Cuiacium *in Paratitlis ad Cod.*
2 *Comment. in Notitiam Provinc. Cap.* 38.

Monachorum populosa. E quibus unum aliquod in Urbe *Ventana* conditum, *Constantem*, Filium *Constantini*, instruxisse, & in ordinem Monachorum cooptasse, volunt e nostris quidam Historici. Fundamento huic innixus Doctiss. *Burtonus* non dubitavit opinari Cœnobium hocce (quod a *Galfredo* dicta est *Amphibali* Ecclesia) in quo *Cæsareus* ille Cuculliger erudiri fertur, eo loci fuisse, ubi hodie Cathedralis Ecclesiæ terminus occidentalis: ibi enim Parietina vastæ molis, ex calce arenato optime conflata, crassa, dura, & compacta, tot sæculorum vim evicit, & nobilis ædificii monumentum etiam nunc conspicitur. Sed de *Constantis* in eo Educatione judicent eruditi.

IN *Ventæ* hujus suburbiis jam per annos ter centum, & eo amplius, floruit Collegium, a Beatissimo *Wiccamo* conditum, & munifice dotatum; quod, omni genere Literarum, Viros eruditione & doctrina claros initiavit, Reipub. Vindices, & præclara ejus Ornamenta. Utinam Auctor Alumnus esset tam Illustri Gymnasio dignus.

§.

---

1 *Lib.* V.

§. XIII.

IN *Belgicis* Antiquitatibus occurrit unum, quod admirationem magis, an risum moveat, est in dubio. Monachi *Glastenburienses*, ut Cœnobii, antiquitatem ejus celebrando, nomen eveherent, *Ina* Rege minime contenti Fundatore, multis ante eum sæculis Insulam *Avaloniam*, & terræ complures *Hidas* (ita olim loquuti fuerunt Homines *Angli)* ab *Arvirago* Rege, se accepisse, primo somniare; tum inter se otiose garrire; deinde figmentis suis fidem adhibere; denique in perpetuam rei memoriam, ea in Cœnobii Chronica referre. Ex iis, ut egregius ille Fabulator, *Capgravius*, *Josephi* sui *Arimathensis* vitam adornaret, hanc Historiæ medullam, hosce Flosculos excerpsit, Scriptoque suo inseruit; ut & alii ejusdem generis *Volusii*, ejusdem generis Annalibus & cacatis chartis. Interea [1] Cuculligeri, in Monasteriis aliis, stomachari; Fratrum *Glastenburiensium* glo-

Cœnobium Glastenburiense

non ab Arvirago *fundatum.*

---

1 *Chronicon S.* August. *M. S. ab Episcopo* Vigorniensi, *Antiq.* Britan. *Pag.* 26, *citatum.*

gloriationem nimiam moleſte pati; Antiquitatem, ab iis affectatam, deridiculo habere; *Inæ* Fundatoris eos commonefacere; itaque eorum tum audaciam, tum ignorantiam acriter increpare, vehementer objurgare.

COMMENTUM iſthoc adeo prodigioſum & inane, ut ſibi vix conſtare videatur, & a conſuetudine ſomniorum minime abſit, ſolidiſſimis evertit Argumentis Antiquitatum Auctor *Britannicarum*. *Arviragum* fuiſſe Principem *Britannicum*, ex *Juvenali* patet, qui hunc in modum *Domitiano* Imp. adblanditur;

Regem aliquem capies, aut de temone Bri-
Excidet Arviragus. (tanno

Principem eum fuiſſe *Britanno-Belgicum*, nullo alio, quod ſciam, monumento, præter haſce *Glaſtenburienſes* Fabulas (*Legendæ* vulgo appellantur) oſtendi poteſt. Sed (quod affirmat idem Auctor admodum Reverendus) veriſimile videtur, *Arviragum*, fortem & animoſum virum, *Romanorum* apud nos imperium ægre ferentem, poſt *Agricolæ* diſceſſum & *Salluſtii Luculli* mortem, motus eos civiles excitare, qui ad *Hadriani* uſque tem-

Motuum in Britannia *Civilium Auctor* Arviragus,

pora

pora continuarunt : ad quos ſedandos, & *Britanniam* reſtituendam, Imperator huc cum exercitu venit. Nomen autem magnanimi hujus *Britanni*, patriæ defenſoris ſtrenui, *Arivogum* eſſe probat *Armachanus*, ex Numiſmate *Britannico* inter κειμήλια *Cottoniana* ſervato, in quo legitur ARIVOG : Cujus a viro illo Doctiſſimo, aliiſque rei nummariæ peritiſſimis probati, & ut opinari par eſt, genuini Iconem, ex Tabulis *Speedio* & *Camdeno* annexis, hic apponi fecimus.

Sive rectius Arivogus.

CAP.

CAP. V.

De Aquarum Calidarum *Urbe.*

§. I.

De Aquis Calidis.

VENIMUS tandem ad *Aquas Calidas*, Urbem totius *Belgii* longe celeberrimam, quæ primam harum ansam Antiquitatum præbuit. Quicunque situm hujus Urbis cum animo cogitaverit, ante illam conditam non alium fuisse judicabit, quam convallem modicam, collibus interjectam, & undique fere septam, fontibus abundantem, & ob eorum aquas æqualitate terræ retentas, paludosam : atque hanc fuisse loci faciem, multa quidem annorum sæcula, pro certo habeo. Tandem e vulgo sagacior aliquis, aut Cuticulam in Aquarum superficie Bitumineam,

mineam, aut earum alicubi Calorem observando, Fontes a ceteris Calidiores sejungi, canalibus & colliquiis separari, atque adeo puriores, quam antea, servari voluit.

§. II.

OTIO sane multum abutuntur, qui Thermas hasce Calorem & Virtutes precibus Sancti *Davidis*, vel Regis *Britannici*, *Bladud* appellati, incantamentis & Magiæ deberi contendunt: Etsi enim Magiam (ut de Sancti illius Precibus nihil dicam) *Britannos*, quod a [1] *Plinio* traditum, *attonite celebrasse* demus, nemo sanæ mentis existimabit, eam tam magni operis esse potuisse generatricem. Calor, omni ævo constans, ab initio rerum, & proculdubio naturalis, Arte nonnunquam adjuvante, sordes amovente, & Aquas alienas avertente, custoditur, augetur: idque forsan primo omnium a *Romanis* A. D. circiter XLIV & sequentibus, quo tempore *Belgium* in deditionem ii redegere.

Britanni *Magiæ dediti.*

I §.

---

1 *Lib.* XXX. *Cap.* I.

§. III.

ALBIONES seu *Belgas* hac regione primigenios, huic operi manus admovisse vix credibile est; cum hujusmodi rebus eos delectari, vel minima ex parte assuefieri, nullo quidem indicio, nulla ratione probari possit. contra, certum est *Romanos* Thermarum amantissimos, sic, ut nulla unquam gens, nulla natio magis, fuisse. Erant *Romæ* tum multæ, tum magnificæ Thermæ. Ab uno *Agrippa* [*in Ædilitate sua, ipso commemorante, gratuita præbita Balinea centum septuaginta, quæ nunc* Romæ, (ut ait [1] Plinius) *ad infinitum auxere numerum.*] Porro, *magnificas* fuisse patet ex eo, quod eas Lithostrato, & Encausto pinxit, & Pavimenta ex Vitro posuit.

Romanæ *hæc Urbs originis.*

§. IV.

CLAUDIUS Imp. (ut ad rem nostram propius accedam) *Aquas*, a se cognominatas, *ex Fontibus a milliario XXXV*; *item Anienem novam a milliario LXII*

Claudius *Imp. Aquæductus restituit.*

---

1 *Lib.* XXXVI. 15.

LXII sua impensa (ut testatur [1] Inscriptio) *in Urbem perducendas curavit.* Idem *Arcus, Ductus Aquæ Virginis disturbatos a Fundamentis novos fecit, ac restituit.*

HUJUS Imperatoris medicus, & in expeditione *Britannica* comes fuit *Scribonius* noster, qui Balneis in re medica [2] usus est adversus Epiphoram; alibique *coloris incerti* [3] commendat *Emplastrum*, quod in Balineo non excidet. Quin & incommoda Balneorum simulque commoda [4] *Celsus* recensuit; sic, ut illorum in medicina usum *Romæ* fuisse suo tempore frequentissimum, in exploratis sit.

Balneis Celsus & Scribonius *utuntur.*

§. V.

HIC medicinæ apud *Romanos* status fuit, cum *Britanniam* ingressus est *Claudius* Imp. *Belgium* exercitus sub *Vespasiano*, cum Præfectis & Tribunis, aliisque primi ordinis militibus innumeris: qui cum omne *Belgium* peragrarunt, ut ex

Aquas ad usum Commodiores,

---

1 *Gruteri Inscript. Pag.* 176, 1. 5. 2 *Comp. Medd.* N°. XX. 3 *Comp. Med.* N°. CCXIV. 4 *Lib.* II. *Cap.* 17. *Lib.* V. *Cap.* 26. *Sect.* 28. *Sect.* 34.

Tropæo (de quo [1] alibi) *Claudiano* patet, itaque Fontem huncce *Calidum* adierunt, capi eos profecto necesse est, & multum delectari, tamquam viso in mediis *Britanniis Italiæ* delicio. Hinc facile est conjicere, vel ipsius Imperatoris, vel ex Præfectis & magni nominis in exercitu alicujus sumtu, seu privato, seu communi (*Scribonio* forsan hortante) Fontes aperiri, sordibus & inquinamentis liberari, sulcos & colliquias incidi, sicque Aquas ad usum commodiores fieri.

§. VI.

Sub Claudio *Imp.*

ATQUE hic, ut opinor, primus harum *Aquarum* honos; quem mox sequutus est, in Domibus, in Urbecula condenda labor & opus. Ut Urbs *Aquarum* ergo condita, sic ab illis *Aquæ Calidæ* dicta est; a *Ptolemæo*, Υδατα Θερμά; *Claudio*, qui *Græce* scivit, forsan nomen imponente. Ut Urbem hanc, & primam Aquarum curam *Albionibus*, sive *Belgis* indigena, nemo harum rerum prudens adsignaverit; ita profecto quidem *Romanis* eam nemo illarum sciens abnegaverit.

Primum fieri.

§.

1 *Cap.* XVI.

§. VII.

HISCE positis, existimare licet, *Romanos*, quoties numero præter solitum magno ad hanc Insulam accederent, has ad *Aquas* sive immergendi, sive potandi ergo subinde confluxisse, & de rebus arduis, de Imperio *Romano*, de Victoriis per terrarum orbem adeptis, aliisque id genus (uti nunc dierum moris est) coram inter se contulisse. Confluxere præsertim devicto jam dudum exercitu *Boadiceæ*, & de Heroina ejusque in pugna fortitudine, deque Thermis *Romæ Neronianis* plurima fabulati sunt.

Romani *milites huc otiosi confluxerunt.*

§. VIII.

MIRABUNTUR aliqui fortasse, neque *Dionem Cocceianum*, neque *Cornelium Tacitum*, de *Aquis* hisce verba fecisse; præcipue *Tacitum*, acri ingenio virum; in rebus civilibus observandis diligentem, & cum *Agricola* socero tempus in *Britannia* conterentem: at præterquam quod hujus Historici de *Britannia* tractantis magna pars intercidit, aliud adjiciendum; nimirum eum fuisse, tametsi in

Unde Taciti *de* Aquis *his silentium.*

in re civili diligentem & peritum, in re tamen naturali non item. Adeo diversos trahunt homines, diversa hominum ingenia.

§. IX.

Cujus ætatis Andromache *sit* Britanno-Belgica.

BUSTUM illud, quod ad *Aquas Calidas* paucis ante annis effossum est, & *Domitiano* Imp. sculptum, si usum ejus spectemus, lautam & opiparam vitæ rationem a militibus actæ, omnino arguit. De hoc Busto, sub nomine *Andromaches*, infra Cap. XVII.

SUB hoc tempus Urbi accessit Templum *Minervæ* nuncupatum, quod a *Domitiano* forsan ædificatum: Certe ille plurimum huic Deæ solebat tribuere, eamque (ex testimonio [1] *Suetonii*) superstitiose colebat, utpote se illius filium haberi cupiens: Neque dubitare licet, quin hoc tempore *Minervæ* numini sacrarentur hæ Thermæ, secundum [2] *Solinum*, ejusque sub præsidio ponerentur: unde postea *Palladiæ* dicebantur *Aquæ*. Neque diu post *Minervæ* in Aquarum præsidio adjunctus est

Et Templum Minervæ *dicatum.*

---

1 *In* Domitiano, *Cap.* IV. 2 *Cap.* XXII.

est *Hercules*, qui Thermis praeesse [1] solitus est, & *Minervae* fuit carissimus. Erant hi Dei Σύμβωμοι, & *Aquarum* opera socia curam habuere.

CONTRA *Romanos*, cum *Silures*, *Arvirago* (sive potius *Arivogo*) duce, insurgerent, militiae *Romanae* frequentem hac in Urbe concursum esse, probabile est; tum Aquarum gratia, tum Viae militaris ad *Trajectum*.

§. X.

BELLO hoc confecto forte a *Glevo* (*Glocester*) octogenarius ille Decurio venit, de quo veteris frustum Inscriptionis apud *Aquas* extans. [*Forsan*, ait Doctiss. [2] *Galaeus*, *ad vires refocillandas huc delatus obiit*.] Equidem novi grandiorem hoc Decurione, *Dunmonium* nobilem, qui Thermas hasce frequentavit, & Balneo Regis diutius, quam a Medicis solet juberi, atque adeo in calidissimo ejus loco, (ubi nempe scaturiunt Aquae) immorando, vires corporis, animi vigorem, quotannis supra quam quis expectaret, adquisivit,

Decurio octogenarius huc accedit.

1 Athenaei, *Lib.* XII. 2 *Ad* Antonini *Iter* XIII.

quisivit, & demum pene Nonagenarius obivit.

§. XI.

Quo tempore Fabrica ibi erecta.

FABRICA sub *Hadriano* sacra hisce *Aquis* erecta est, & quidem, uti licet opinari, A. D. CXXI, quo tempore in *Britannia*, imo forsan *Aquis Calidis*, sub Fabricæ hujus erectionem, fuit Imperator ille, rei militaris studiosissimus: sed de hac re alibi. Unum alterumque hic addam; nempe hanc Fabricam Urbi magnum fuisse additamentum, sive Ædificia spectemus, sive Operarios, sive Advenas huc propter arma & utensilia confluentes. Deinde, Víam militarem *Aquis Calidis* ad *Trajectum*, sub hoc tempus absolutam reddi, ut nimirum inter *Silurum* Ferrifodinas & Fabricam modo dictam fieret commercium.

§. XII.

IMPERANTE *Geta Britannico*, hac in Urbe quamplurima fieri, ad ductus Aquarum restituendos, ad augendos, unde Nymphæum, sordium squalore fædatum, amplius opere, cultuque melius reddebatur,

debatur, omnino verisimile est: Circa hoc tempus majorem elegantiam, ornatum, & utilitatem, quam antea, Thermas has adquisivisse, *Solini* verba videntur indicare. [*Fontes*, inquit, *in* Britannia *Calidi, opiparo exculti apparatu ad usus mortalium: quibus Fontibus præsul est* Minervæ *numen.*] *Solinus* scripsit exercitationes post initum a *Theodosio* Magno Imperium: Si ejus ætate, vel paulo ante præstarentur hæc ornamenta, memorasset auctorem Polyhistor; quare sæculo ante uno alterove facta fuisse judico. Nemo Imperatorum, ad faciendum apparatus hos opiparos, jam dicto probabilior: erat enim Juvenis natura magnificus, & liberalis; erat totius Insulæ cis *Tuedram* Præses; cumque *Aquis* hisce quæ necessaria erant, tam magni operis & expensæ reperirentur, ut fisco digna essent imperatorio, nec quis ad erogandos hosce sumptus *Geta* promptior aut paratior, illum opinari ducor fuisse, qui, ut *Calidos fontes ad usus mortalium excoleret*, eos denuo in terræ viscera altius fodiendo patefieri, canales evacuari, saxo forte quadrato muniri, Lavacra denique cum Soliis, Apodyteriis, Curiceis, aliisque ejusmodi necessariis fieri curavit: quorum gratia ab ordinibus Statua ei Equestris

Geta Aquas Calidas *restituit, auxit.*

 erecta;

erecta; de qua in volumine altero de industria.

§. XIII.

Quo tempore hæ Aquæ Solis *primum appellarentur.*

HISCE fere diebus, hæ Thermæ primum *Aquæ Solis* appellatæ sunt: Certe primum apud *Antoninum* nomen id occurrit. *Antoninum* autem illum Auctorem Itinerum, fuisse *Bassianum* innuit Doctiss. *Galæus*, idque probabiliter. Proculdubio, salutem mortalium Aquis his restitui custodirique solitam, inaudiverat Imperator in *Britanniis* agens; neque absurdum, atque adeo factu dignissimum existimavit, has *Aquas* sacrari dicarique Medicinæ Deo & inventori. His addendum, *Bassiani* filium *Solis* fuisse Sacerdotem, ideoque dictum *Elagabalum*.

§. XIV.

Militiæ Romanæ *lauta vivendi ratio, sub finem Imperii.*

MULTA deinde sæcula fuit altum apud Auctores tam *Latinos*, quam *Græcos*, de *Aquis* his silentium; ea proculdubio de causa, quod illorum temporum Historici, magnam partem intercidere. Supereſt *Dio*, sed & ille non parum mutilatus. Nihilominus, ex Pavimentis numero

mero permultis, ornatu celebribus, apud *Hasilbury*, *Wellow*, aliisque locis hac in regione compluribus, detectis, quæ vergentis Imperii sunt, abunde liquet, militiam *Romanam* ibi tum fuisse frequentem, laute vitam & dapsiliter agentem; ut infra plenius enarrabitur.

DE *Alexandri Mammææ* ævo res apertissima est. *Penates* undeviginti, nuper apud *Devisas*, una cum *Seria* detecti, planum hoc & manifestum reddunt. Cum his concordat *Julius Vitalis*, testis hac in re amplissimus, & probatissimus. Denique *Solinus*, Imperio cadente statum ac conditionem harum *Aquarum* luculenter exponit; Sic, ut nullo forsan ævo splendidiores aut magnificentiores cernerentur. Novissimæ *Romanorum* ætati tribuenda videntur ea monumenta, quæ Thermis erecta, muris alibique infixa, hodie sunt, vel pronuper fuere conservata. De quibus sequenti Capite particulatim. *Præcipue in hac Regione.*

CAP. VI.

De Romanis *Aquarum Calidarum* Monumentis.

§. I.

HÆC cum a Doctiss. *Guidoto*, medicinam hac in Urbe paucis ante annis exercente, Viro multæ eruditionis, & Antiquitatis in primis sciente, sint publicata, quæ ille lingua vernacula publicavit, ego in Latinam ea vertere, & Figuris ab [1] eo & Cl. [2] *Listero* sumtis illustrare, hoc Capite satis esse ducam. Exhibentur ea Tabulis II. & III. quæ hunc in modum explicari possunt.

JUXTA Portam Borealem Inscriptio fuit, quam Tab. II. Fig. 1. incidi curavimus, sic legendam. *De-*

1 *A Discourse of* Bath, *&c. Chap.* X. Lond. 1676.
2 *Vide Acta Philosoph.* Lond. N°. 155.

Fig. 1.

DEC. COL. NEGLEV
VIXIANL.XXXQVT

Fig. 2.

VRN
IOP

Fig. 3.

LIIVSSA
SVXSO

Fig. 4.

ILIA
LIA

Fig. 5.

D M
SVCCPETRONIAEVIX
ANIIIMIIIIDIXVDO
MVIVSEVICISARINA
FIL KAR FEC

Fig. 6.

DIS MANIBVS
M VALERIVS M
R F LATINVS CEQ
M LES LEG XXAN
XX VSTIPENXX
H S E

Fig. 7.

C MVRRIVS
C F ARNIENSIS
FOROIVLIMO
DESTVS MIL
LEG II AD P F
IVLI SECVNDI
AN XXXVSTIP
H

Fig. 8.

FORTVNAE
CONSERVA
TRICI
L. SENECIA
NIVS MAR
TIVS LEG
VI VICT

Alteram hanc Tabulam, cum iii *in honorem* Aquarū Calidarū, *benigne contulit Vir Clariss.*
CAROLVS BAVE, Thermiater eximius.

CIↃ.IↃ.CC.XIIX.

M. Vd. Gucht Sculp.

Decurioni Coloniæ Glevi, vixit
Annos octoginta octo. Legente *Guidoto.* De hoc Decurione vide C. V. §. X.

DE Literarum N & I, in vocabulo *Coloniæ*, ligatura, vide quæ in Vol. III. §. VI. dicuntur. *Glevum* (Glocester) *Romana* fuit Colonia; & in ea *Decurio* miles hic Causarius. [*Decuriones*, (ait *Festus*) *appellantur, qui denis equitibus præsunt.*] At *Pomponius* I. C. vult [*Senatores in Coloniis, ut etiam in Municipiis* Decuriones *dici.*] Et quidem Foliaturæ prope Inscriptionem, eam viri cujusdam insignis fuisse arguunt, & opinioni *Pomponianæ* quodammodo favent.

§. II.

SEQUUNTUR alia perquam obscura. In Lapide sculpuntur Literæ Tab. II. Fig. 2, 3, 4, signatæ, de quarum significatu ne quidem ariolari possum.

TUM Inscriptio Tab. II. Fig. 5, incisa; quæ sic legenda.

DIIS Manibus Successæ Petroniæ; *vixit annos tres, menses quatuor, dies novem,* Veteromulus & Victisarina *filiæ carissimæ fecerunt.*

GRUTERUS hanc Inscriptionem, a *Camdeno* acceptam, edidit; sed a *Guidoti* nostri

nostri longe diversam: Ille enim ANN. IIII. Ille DI. XV. Ille EPOMVLVS. Ille VICTISIRANA, non nimis, ut opinor, recte: Est in Nominibus Latinis *Successa*: ut patet ex [1] *Grutero*, [2] *Reinesio*, [3] *Vignolio*. De Nominibus *Veteromulus*, & *Victisarina*, nihil habeo quod dicam.

ALIUD est Inscriptionum par, & quidem nobile, quod ante sæculum in Campo de *Walcot*, ubi olim *Julii Vitalis*, quod diximus, Sepulcretum erat, inventum, *Rob. Chambers*, Civis *Bathoniensis*, Antiquitatum amans, in Urbem transtulit, Hortoque propter Balneum, quod *Crucis* appellatur, adservari curavit.

PRIMA est *Marci Valerii*, hisce verbis concepta.

DIIS Manibus. Marcus Valerius, Marci *filius*, Latinus, *Cohors Equitum*, *Miles Legionis vigesimæ*, *annis viginti quinque*, *stipendia viginti*, *hic situs est*. Tab. II. Fig. 6.

NOTATU dignum est, *Valerium* anno ætatis XV militiæ nomen dedisse; quod [4] alibi dictum: XX manifeste falsum est pro XXX. AL-

---

1 *Vide Inscriptionum Thes. (primæ Ed.) pag.* DCC. 6. DCCXL. 2. 2 *Classem* IX. 75. 3 *V. Eius Inscriptiones Selectas, pag.* 207, 229. 4 *Vol.* III. *Sect.* VI.

Romana AQUARUM CALIDARUM Monumenta.

pag. 70

A.M.B.D. S.M.

CAROLO BAVE.M.D.

Romana *hæc* Aquaru Calidaru *Monumenta*

(jam pridem a Clarifs: GIDOTO *collecta) ære*

denuo incisa, tamquam Μνημόσυνον *suo sodali,*

D.D.D. Editor. A.D. MDCCXVII.

ALTERA *Caii Murrii* eſt Inſcriptio, quam Tab. II. Fig. 7. ſculptam ſic legimus.

CAIUS Murrius, Caii Filius, Arnienſis, Foro Julienſis, *Modeſtus Miles Legionis Secundæ, adjutricis, piæ, felicis,* Julii Secundi, *Anni viginti quinque, ſtipendia octo, hic ſitus eſt.*

TRIBUS *Arnienſis*, ab *Arno*, *Hetruriæ* fluvio, erat inter *Romanos* quinta ſupra vigeſimam.

§. III.

TAB. III. Fig. 1. Facies Hominis ampla & hirſuta.

Fig. 2. Pedes Clavam manu tenens.

Fig. 3. Miles e peditatu Gladium vibrans, Scutum protendens.

Fig. 4. Paſtorem & Amaſiam, oſcula, brachia jungentes. En Pedum Paſtorale! en Lyciſcum fœminæ adblandientem, & ejus Caput amabiliter invadentem!

Fig. 5. Foliaturam exhibet.

Fig. 6. Exprimit *Romanum* quendam minaci vultu *Britanno* vim inferentem.

DEINDE Capita duo, quorum vultus atroces & truculenti. Tab. III. Fig. 7, & 8.

Imago

IMAGO Fig. 11. ſignata ſeſquipes eſt *Herculis*, opinante *Camdeno*: ſiniſtra in altum elata eſt, dextera clavam tenet. De *Hercule* harum Aquarum Præſide, vide Cap. XI. §. X.

Juxtaque Lepus; quem, *Leporium* hujus monumenti conditorem repræſentare cenſet bonus *Guidotus*. Tab. III. Fig. 15.

IN Suburbiis inventus eſt Lapis, cum hac Epigraphe

VIBIA IVCVNDA
H. S. E.

Apud Gentem *Carviliam*, *Jucunda* fuit Agnomen: ſic, ut in *Claudiana* & *Pomponiana*, *Lætus*.

Ophiuchus Hercules ſerpentes duos manu comprimens, *Meduſæ* Caput, & *Lepus*, olim hic viſi, jam multos annos deſiderantur.

CAP.

CAP. VII.

De Viis, *in* Belgio, Militaribus.

§. I.

VIÆ militares ſunt e *Romanorum* monumentis in *Belgio* celebratiſſimis; quæ cum multæ numero, hac illac quoquoverſus eant, & in ejus omnem fere angulum incurſent, eæque in locis nonnullis etiam nunc ſic ſatis integræ cernantur; profecto quidem apertiſſime *Romanorum* in hac regione multitudinem, magnificentiam, negotia, commeatus indicant, adeoque poſt tot annorum ſæcula noſtris ſenſibus ſubjiciunt. Ut generatim hocce dictum, ſpeciatim perſequar, Vias omnes haſce tentabo, lucemque iis pro virili afferam.

Romanorum *monumenta in* Belgio *celebratiſſima ſunt Viæ Militares.*

§. II.

Quæ recenſentur,

A LONDINIO Via militaris ad *Callevam*, ea jam relicta, in duo Capita ſecatur, quorum alterum mox in meridiem inclinans, *Belgium* ingreditur, & *Vindomin* attingit; deinde *Ventam Belgarum*; deinde *Clauſentum*; deinde *Regnum*: deinde a *Venta Belgarum* ad *Brigen*, ad *Sorbiodunum*, ad *Vindogladium*, eoque longius in occidentem extenditur: nempe ad *Durnovariam*, ad *Maridunum*, & per *Sidmouth*, & *Woodbury*, ad *Cliſt St. George*, ubi *Viæ* ab *Iſchali* juncta, ad *Iſcam Dunmoniorum* recta porrigitur.

cum earum continuationibus,

VIA cis *Callevam* altera *Spinas* adit, & per *Atrebatum* terram Fluvio *Cunetioni* ad aliquot milliaria quaſi parallela, *Belgium* intrat, & ad *Verlucionem* pertinet; ubi ad dexteram flexa Fluvium *Avonam* tranſit, & *Viæ* illico ſtratæ a *Durocorinio* juncta, in *Aquas Solis* jam magis lata deſinit; uno autem lapide ab Urbe *Julii Vitalis* Sepulcretum habet.

AB hac Urbe bifariam abit, & in *Abonem*, *Trajectum*, *Silurumque* regionem, & occidentem verſus ad *Iſchalin*, & (de qua

qua re ſilent Hiſtorici) ad *Axium*, ad *Honiton*, (oppidum, uti mihi videtur, antiquum) ad *Fair-mile*, & paulo poſt, in lævam flectens, ad *Cliſt St. George*, ubi *Viæ* a *Durocorinio Bridæ portum* (Brid-port), *Maridunum*, *Sidmouth*, & *Woodbury* ſtratæ, jungitur, & in *Iſcam* ducit *Dunmoniorum*. Et trans *Axium* (*Axmiſter*), interque illud & *Honiton Viæ militaris* certa ſunt veſtigia, ciſque *Honiton* milliare verſus aureum (*Fair-mile*) manifeſtiſſima. Poſt *Iſcæ* Fluvii trajectionem, ad *Kenn-ford*, & dein, ſuperato monte nunc *Halden* nuncupato, ad *Ugbrook*, ad *Teignum* fluvium, ad *Neapolin* (*Newton*), ad *Totoneſium*; quo ſtadio, noviſſime dicto, hodieque eminet *Via*, ſic, ut raro uſquam magis. *Ad Totoneſium uſque.*

§. III.

CUM olim in *Cornubia* fuit *Totoneſium*, &, qui alluit hoc oppidulum, Fluvius *Dart* *Cornubiam* a *Devonia* ſeparavit, (Limites enim *Cornubiæ* primus omnium Rex *Athelſtanus* intra *Tamarim* fl. coartavit) hoc in cauſa fuit, quod apud *Rad. Higden*, & MS *Eulogium* appellatum, mi- *Unde in Cornubia dicatur exordiri hæc via.*

litaris hæcce Via cepiſſe initium in *Cornubia* (nempe veteri) dicatur.

§. IV.

HANC e *Belgio* excurſionem ideo feci, ut *Viam militarem*, per Agrum *Somerſettenſem*, ad *Iſcam*, multis itineribus a me notatam, & diligenter obſervatam, luci exponerem, itemque viro [1] Doctiſſimo [*de Viis quatuor Romanis*] enucleate ſcribenti, ſupplementum hac in parte, ipſius ex propoſito, facerem, & gratificarer. Altum apud Itinerarium *Antonini* de hac *Via* ſilentium eſt, cujus rei cauſam eſſe cenſeo, quod non niſi eo ad finem jam perducto, & vergente Imperio, ſternere-tur.

§. V.

Ad Aquas Solis *ab omni regione concurritur.*

EX *Viarum* ad *Aquas Solis* hoc concurſu, & nobiliſſimo in ea Civitate Quadrivio, luculentiſſime patet, ab omni regione *Britanniarum*, ad eam populum confluxiſſe, itum reditumque idoneum inveniſſe. In omni *Britannia*, quantum video,

---

1 *Vide* Lelandi *Itinerarium*, *Vol.* VI.

video, ſola ſunt *Londinium* & *Portus Dubris*, quæ plures habent in ſe coeuntes vias; & ad veterem *Aquarum Solis* honorem gloriamque confirmandam, neſcio an ulla res proponi poſſet evidentior, & majoris fidei: ob Aquas enim advenarum hunc concurſum maxima ex parte fieri, controverſia non eſt.

§. VI.

VIIS his celeriter expeditis, earum ſtadia proximo loco dimetiar; quo nimirum Urbium inter ſe diſtantiæ clarius innoteſcant. Hæ vero diſtantiæ per *Antonini* milliaria *Italica*, (quorum ſcalam a Viro Clariſſ. *E. Halley* lineatam, Itinerario præfixit, Patri ſuo ſimilis, *R. G.*) pluribus in locis ſunt correctæ.

SECUNDUM hanc regulam a *Calleva* — *Urbium inter ſe Diſtantiæ.*

Vindomin	M.P.XVIII.	*Silcheſter.*
Ventam Belgarum	M.P.XXIII.	*Wincheſter.*
Clauſentum	M.P.XI.	*Old Southampton.*
Regnum	M.P.XIX.	*Ringwood.*

A *Venta Belgarum*

Brigen	M.P.IX.	*Broughton.*
Sorbiodunum	M.P.XI.	*Old Sarum.*
Vindogladium	M.P.XVII.	*Winburn.*
Durnovariam	M.P.XVI.	*Dorchester.*
Maridunum	M.P.XXVI.	*Seadown*, vulgo *Seaton.*
Iscam Dunmoniorum	M.P.XXV.	*Exeter.*

A *Calleva*

Spinas	M.P.XXIV.	*Speen.*
Cunetionem	M.P.XXIV.	*Kennet.*
Verlucionem	M.P.XXI.	*Westbury.*
Aquas Solis	M.P.XI.	*Bath.*

Ab *Aquis Solis*

Abonem	M.P.VIII.	*Hanham.*
Trajectum	M.P.XII.	*Oldbury.*
Ischalin	M.P.XXVI.	*Illchester.*
Axium	M.P.XVI.	*Axmister.*
Iscam Dunmoniorum	M.P.XXII.	*Exeter.*
Neapolin	M.P.XIII.	*Newton-Bussel.*
Totonesium	M.P.VIII.	*Totness.*

§.

§. VII.

PRIUS vero quam de hac Tabula manum, de *Viis* hisce *militaribus* spicilegia quædam, & adnotanda in medio ponam. *De Viis hisce adnotanda.*

PRIMO nempe, eas persæpe abruptas, multorum aliquando milliarium habere intervalla; sic ut utrum umquam continuatæ fuerint, dubitari posset.

DEINDE, intervalla hæc ad *Viarum* oblivionem, & neglectum, affatim contulisse; quæ tamen earum oblivio facile tollenda est, si Fragmenta diligenter attendamus, & lineam, quam olim habuisse merito censeantur, animo resarciamus.

DEINDE, Viarum Fragmenta plurimum inter se differre; nonnumquam enim angulis rectis, nonnumquam inæqualibus oblique secantur; alias perrumpuntur, alias altero tantum latere atteruntur. In omni *Belgio Vias* hasce nusquam integriores vidi, quam trans Ὑδατα Θερμά, qua *Durocorinium* itur, cisque ea, ubi nomen hodie retinet [*the Foss-way.*] Ibi jugo notabili eminet, temporisque diuturnitate non multum mutatus, ejus sævitiam eludit.

§.

§. VIII.

Hæ Viæ sæpe a rectitudine deflectunt.

OPERÆ pretium est hic obiter notare, *Vias militares*, a [1] Cl. *Twyno*, antiquitatis scientissimo, ita repræsentari, tamquam summa rectitudine, protensa linea, per quæcumque locorum incommoda ducerentur. Huic illius opinioni calculum adjecit bonus [2] *Somnerus*: sed, uti videtur, ambo defunctorie. Nam in *Belgio* Viæ, ab *Aquis Calidis* ad *Ischalin* tendentis, [3] curvatura est insignis. In *Dunmonio*, de Via ab *Honiton* ad *Iscam* nostram, ad sinistram itur, idque nullo invitante ad reficiendum itinerantes, oppidulo. Possim hujusmodi alia quamplurima proferre; quæ utique *Romanos* non semper rectissimam ivisse & stravisse viam (quod tamen hi voluere Antiquarii) ostendant. Hæc de *Viis Belgii Militaribus* hactenus.

---

1 *De Rebus* Albionicis, *Lib.* II. *Pag.* 152.
2 *The Antiquities of* Canterbury, *Pag.* 23, 24.
3 *Vide* Belgii Brit. *Tabulam.*

CAP.

CAP. VIII.

De Insulis, Belgio *nostro adjacentibus.*

§. I.

DE hisce *Insulis* copia materiæ perampla superesset, si a Doctissimo *Lelando* quæ collecta fuerit, temporum injuria minime periisset. Post tantum ab hoc naufragio damni, nos Tabulas solum aliquas accepimus, quas hoc loco in unum conferre animus est.

Lelandi *de* Insulis *scripta.*

§. II.

HARUM *Insularum* maxima nobilissimaque tum Latinis, tum etiam Græcis innotuit; a *Suetonio Vectis*, ab *Eumenio*, &

Vecta Græcis *non ignota.*

& *Eutropio* Vecta, a *Ptolemæo* Οὐέκτις, Οὐῖκτιν appellata; ſinu, cui in oriente *Ptolemæi* Μέγας Λιμὴν, intus in media curvatura *Triſantonis* Oſtium, in occidente *Avonæ* Oſtium, incluſa; figuram habet Rhomboideam, angulo externo *Galliam* verſus extento: Milliaria circiter XX longa eſt, duodecim lata. [1] *Plinius* ſitam inter *Britanniam* & *Hiberniam* eſſe vult; ſed magno ſive rei, ſive nominis errato. *Samuel*, *Britannus*, qui in *Nennii* Hiſtoriam Annotationes ſcripſit, dum *Vectæ* interpretationem molitur, [*Quam*, [2] inquit, Britones *Inſulam*, Gueid *vel* Guith, *vocabant*, *quod nomen Latine* [Divortium] *dici poteſt.*] quæ hujuſce vocis ſignificatio primigenia Inſulam hanc ab *Albione* aliquando ſeparari contendit: Inſularum proxima vicinitas, & in litore Rupes horrendæ idem plane confirmant.

Nominis Derivatio. [3] NONNULLIS minus placet hæc Etymologia, quoniam Nomen hujus Inſulæ *Saxonicum* a *Nennio*, ejuſque diſcipulo *Samuele*, *Britannis* non uſurpatum fuit, niſi poſtquam *Jutæ* jam ad tempus aliquod

---

1 *Lib.* IV. *Cap.* XVI. 2 *Vide* Lelandi *Commentarium in Cygneam cantionem*, *Pag.* 90. 3 *Vide Additamenta ad Cl.* Camdeni Hamſhire.

quod Insulæ Domini fuissent; a quibus illam Nomen [*Wight*] accipere volunt: At pace tantorum hominum, vocabulum [*Wight*] a Latinorum (*V* tamquam *W* pronuntiantium) *Vecta*, i. e. *Wecta* facilius, quam a *Jutarum* nomine videtur effluere. *Latina* vox a *Britannico* fonte (quod frequentissime fieri solebat) derivari potest.

DE *Vecta* apud *Melam* Insula, non pauca viri longe doctissimi [1] *Cuperus*, [2] *Vossius*, aliique scripsere; quæ cum excutere voluissem, a Familiari meo perquam erudito, D. *Johanne Reynolds*, nobilissimi illius Geographi editore omnium accuratissimo, doctus sum, non eo loci Insulam, sed Participium *Vectæ*, quasi *provectæ*, intellegi oportere; idque MSS, quos ille consuluit, numero trium fide & autoritate: quare pluribus de hac re supersedebo. Melæ *Correctio.*

NULLA hujus Insulæ gloriatio major, quam in eo, quod *Vespasiano Britannias* invadenti, patuit & se dedidit; quod & *Britanniis*, & sibimet ipsi, & *Vespasiano* bene successit.

1 *Vide* Gisb. Cuperi *Obs. Lib. IV, Cap.* V.
2 *In Notis ad* Melæ, *Lib.* III. *Cap.* VI.

HANC *Claudii* jussu, *Vespasiani* ductu susceptam expeditionem, tangere videtur, ex opinione *N. Heinsii*, *Valerius Flaccus*, initio Lib. I. *Argonaut.*

—*Tuque O Pelagi cui major aperti*
Fama, Caledonius *postquam tua carbasa* (*vexit*
Oceanus, Phrygios *prius indignatus* Julos.

At nimis Poetice, nisi Oceanus *Caledonius* censeatur hic comprehendere *Britannicum.* Sub hujus Insulæ clivos, fortasse *Spithead*, ubi naves hodie receptum habent commodissimum, *Allectus* Classem *Britannicam*, ut *Romanam* cum exercitu, *Constantio* Duce, litus *Belgicum* petentem interciperet, subvehi curavit: Hæc autem, oborta nebula, illius beneficio prætervecta est, & imprudente *Allecto* litus appulsa *Britannicum*, ibi cum exercitus e navibus exscensum fecerat, accensa.

Allecti *classis sub* Vectam *Ins. subducitur.*

§. III.

De Insula Barry.

TE vero, Nobilissime *Barri*, tuique nominis in Freto *Sabriniano* Insulam, silentio præterire nefas. Ab ea enim il-

illuſtris tua Domus [1] originem trahens, fortem & bellicoſum Virum, *Robertum* de *Barri*, ad ſubigendam *Hiberniam*, regnante apud *Anglos Henrico* ejus nominis ſecundo, (A. D. circiter MCLXVIII) præbuit evocandum: qui in expeditione illa [2] tam animoſe, tamque ſtrenue ſe geſſit, (primus enim *Anglorum*, in hiſce bellis vulnus accepiſſe, primus ſanguinem amiſiſſe dicitur) ut, cum [3] *Philippo* conſanguineo divitiarum affatim adipiſceretur; quas hujuſce poſteri, partibus ſemper regiis fideles, adeo auxerunt, ut Barones *Buttavant*, Vice Comites *Barry*, & Comites *Barrimore* jampridem evaderent; nec non ampliſſimis *Hiberniæ* Familiis matrimonio jungerentur.

Comitis ejus nominis Honos.

TU vero, *Comes Illuſtriſſime*, tantæ Familiæ Decus & Princeps, cum pro Aris & Focis certaretur, in *Belgio*, in *Hiſpania*, tam forti animo pro Patria pugnaſti, (ſed

Quis

---

1 *Vide* Giraldi Cambrenſis *Itinerarium*, *Cap.* V.
2 *Vide* Giraldi Hiberniam *expugnatam*, *a* Povello Anglice *redditam*, *&* *Notis illuſtratam*, *apud* Hollinſheed, *Cap.* 22. *Vide etiam* Camdeni Hiberniam, *in Comitatu* Corcagienſi. 3 *V.* Hiberniam expugnatam, *Cap.* IV.

Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit ?)

ut gloriæ, a majoribus acceptæ, a Te multum adderetur. Macte virtute Vir, Honore & Titulo *Barrimore* (i. e. Magno *Barry)* meritissimo diu fruare, tuorum & tuo ipsius nomine præclarus.

§. IV.

Steep & Flat-Holms.

ALIÆ duæ sunt, in Freto *Sabriniano* *Insulæ* (dicam, an Rupes ?) *Holmes* appellatæ. Vox ea *Saxonice* (nam a *Romanis* inditum iis nomen nullum accepimus) Insulam significat interdum amnicam, interdum Montem. Utraque significatio satis idonea est ad rem nostram. Harum altera, quæ scil. *Belgio* vicinior, supra Aquas eminet, & dicitur *Steep-Holmes:* altera depressior, quæ propior ad *Silures*, (Freto enim extra modum æstuante vix emergit;) hinc dicitur *Flat-Holmes*. *Steep*, id quod præruptum; *Flat*, id quod planum, significat. Hinc *Lelandus* illam [1] nominavit *Præruptariam*, hanc *Pla-*

1 *Vide* Lelandi *Commentarium in Cygneam Cautionem*, *voce* Dunelmensis.

Planariam. Prope *Nervam*, in intimo maris *Sarmatici* receſſu, Inſula eſt, quæ (a *Wodeno*) *Woden-holm*, i.e. *Wodeni* Inſula vocatur. Sanctus ille doctuſque *Dubricius*, qui Urbis Legionum ad *Iſcam* fuit Archiepiſcopus, [*heremetice vixit, apud Aquam* Sabrinæ, *& in Inſula de* Stepeholm *in* Sabrina *ſituatam*; *ibique vitam finiit*:] tradente [1] *Roſſo Warwicenſi*: verum hanc rem aliter narrat [2] *Joh. Lelandus*. *Gildam* huc commigraſſe, relicto, in quo vixit, Monaſterio, vult *Lelandus*; & in harum Inſularum altera quietem & ſilentium quæſiviſſe: vah! quam inani opera. [*Quam non ſunt*, inquit [3] ille, *humana conſilia ullo tempore certa, firma, ſtabilia! Nam quo loco altiſſimum ſibi promiſerat ſilentium, & quietem multo ſecuriſſimam, evenit, ut ſtrepitum & turbas non raro ſentiret. Piratæ mali cauſa fuerunt; qui facinorum conſcii, ad parvas* Sabrinaici *æſtus Inſulas, tamquam ad loca minime populoſa, atque ob id prædæ & latibulis opportuna, proras vertebant. Tulit ille aliquamdiu improborum Furta, Rapinas, Sacrilegia: Sed cum deprædationibus*

Gildas *huc commigravit:*

Quanta perpeſſus.

1 *Hiſtoria Regum* Angliæ, *Pag.* 59. 2 *De Scriptoribus* Britannicis, *Cap.* XXXI. 3 *Cap.* XXXII.

bus nec modum nec finem ullum adesse videret, coactus ipsa necessitate, de mutanda sede cogitavit.] Hinc illum, nacta opportune navicula, *Somersettense* litus petiisse narrat, & Fratres *Glessoburgenses* adiisse.

An hic Librum Querulus *composuit?*

PROFECTO suspicari licet, *Gildam* Librum suum *Querulum*, quo nihil tristius, nihil lamentabilius, nihil flebilius literis umquam mandatum fuit, inter hos Undarum Æstus, Ventorum Strepitus, Piratarum Exsecrationes, scripsisse: neque enim lucubrando operi tam mœsto aliud tam aptum Museum.

Danis hæ Insulæ perfugio.

NULLAM aliam ob rem magis hæ Insulæ claruere, quam quod *Danis* olim Fretum hocce frequentantibus, & Agrum *Somersettensem* (in quo eorum vestigia, Castra scil. cum Aggeribus, nunc trilatera, nunc ovata, non procul a *Veceto* [*Watchet*], & *Portloco* [*Porlock*], hodie quamplurima visuntur) infestantibus, fuissent perfugio; Annis D. 845, 878, 918, 987, 997: ut in Chronico *Saxonico*, quod *Danorum* in hanc Insulam Descensiones & Direptiones luculenter exhibet, videre licet.

CAP.

CAP. IX.

De Belgii Populo.

§. I.

VERISIMILE eſt, *Albiona*, diu poſt Diluvium, antequam humanum genus, per orbem univerſum migrando, longe lateque ſe diffuderat, annos bis mille & quod excedit, incultam adhuc, ſylvis, ericetis, & dumetis obtectam, paludibus abundantem, *Avium* inter animalia præcipue fuiſſe Terram: quarum aliquæ, ſcil. Aquatiles, aut rebus ab oceano ejectis, aut in fluviis piſcatu captis, aliæ baccis & iſtiuſmodi ſpoliis ſylvarum alebantur. Certe Inſularum, minime umquam ab Hominibus cultarum, hæc hodie ratio eſt; nec quidem melius de præteritis

Albion *olim Avium Terra.*

teritis ſentiendum, quam ex iis quæ ſunt in præſenti.

§. II.

Gallos *omnium Mortalium primos* Albiona *coluiſſe.*

UBI vero huc commigrarunt Homines, eam proculdubio terræ partem, quæ eſt in meridie, primum incoluere. Tametſi *Tacito* concedamus, *Silures* ab *Iberis*, *Caledonios* a *Germanis*, huc appulſis, originem traxiſſe; tametſi *Bocharto*, *Phœnices*, ſtanni ergo, *Dunmonium* navigando intraſſe: tamen longo poſt tempore (ſi umquam) factum id videtur, & animo pertinaciter retinendum eſt, non modo *Gallos vicinum ſolum* (quod idem Hiſtoricus affirmat) *occupaſſe*, ſed & omnium mortalium *primos occupaſſe:* quod Terrarum inter ſe Vicinitas apertiſſime oſtendit. Tanti certe hac in re eſt Terræ Vicinitas, ut nihil ea conducibilius videatur, ad Populorum origines explicandas; iis præcipue temporibus, cum Navigationes in uſu nondum eſſent, & rarus inveniretur, cui

—— robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Committat pelago ratem
Primus.

Quare

Quare non parum a ſcopo mihi videntur aberrare, qui a Cherſoneſo *Cimbrica*, aliave quavis terra *Galliis* remotiori, primos in *Britanniam* homines navigiis tranſportari volunt. At longius errant, qui *Albinam* cum ſororibus ex Incuborum concubitu, in Gigantum magnam gentem hic creviſſe, eamque demum gentem *Brutum Trojano* ſanguine oriundum, eviciſſe, ſicque Gentem *Britannicam* (quæ vero hæc Fabularum monſtra!) cœpiſſe narrant.

§. III.

VEL terra, vel mari potuit iſte fieri primus Hominum adventus; Terra ſcil. per Iſthmum minime adhuc perruptum; quem revera fuiſſe, doctrina & eruditione claris hominibus quamplurimis, probabile viſum [1] eſt, ejuſque modum, uti ſpero, [2] exhibuimus. Si vero per Iſthmum fieret, longe maturior eſſe potuit, quam mari per navigia migratio; quando Itinera, mari facta, rerum exigerent apparatum,

Forte per Iſthmum huc advenientes:

1 *Vide, ſecundum alios*, Joh. Roſſi, Warwicenſis, *Hiſtoriam Regum* Angliæ; *pag.* 15. 2 *In Proœmio.*

tum, qui rudi ſæculo, neque in navigationibus verſato, penitus ignoraretur: atqui omnibus ſatis notum eſt, Populorum multitudine creſcentium, alium ab alio facillime trudi, & in terras longe diſſitas arceri.

Vel certe Mari.

HISCE conſona ſunt, quæ de *Britanniæ* tum populo primo, tum nomine proferuntur ab Autoribus antiquis. *Beda* [*Imprimis*, ait, *hæc Inſula* Britones *ſolum, a quibus nomen accepit, incolas habuit, qui de tractu* Armoricano, *ut fertur*, Britanniam *advecti*, auſtrales *ſibi partes illius vindicarunt*.] Quid quod de vetuſtiſſimis in *Gallia Britannis*, a quibus noſtri homines ſunt oriundi, verba fecere [1] *Plinius*, *Dionyſius Alexandrinus*, & *Euſtathius*, a Clariſſ. *Camdeno* hac de re laudati?

§. IV.

Incolæ novis e Gallia *Coloniis in Boream pulſi,*

QUI primum in Albiona *Galli* penetrarunt, Terræ fertilitate, Aeris clementia, Fluviorum dulcedine, reliquaque fortunatiſſimæ hujus Inſulæ felicitate capti, de conditione gloriati, aliis *Gallorum* Nationibus eandem affectandi, anſam dedere:

[1] *Lib.* IV. *Cap.* XVII.

dere: a quibus illi primigenii, ſedibus ſuis expulſi, intus ſe contulere, & ab illis orti, proculdubio ſunt ii, qui a nonnullis Aborigines *Britannici*, & a *Cæſare in ipſa Inſula nati habebantur*, ipſique eſſe videntur, q i (Populo Populum, ut Unda Undam pellente) in Septentrionem a novis e *Gallia* Nationibus huc advolantibus acti, demum ultra *Tuedam* moventes, aliquando *Caledonii*, aliquando *Picti* (nam eundem hæc nomina Populum indicare palam eſt) appellabantur: Atque hunc, humanum genus in hanc Inſulam primum inferendi, deindeque per eam diffundendi, modum fuiſſe, non improbabile duco.

Aborigines *habebantur.*

§. V.

QUO vero tempore, certo ac definito, peragerentur hæ Incurſiones, ex defectu Monumentorum, res eſt Cimmeriis obſcurata tenebris: Conſtat autem *Japeto*, (at, ſecundum *Sheringhamum*, *Semo*) contigiſſe *Europam*, in eaque Inſulas & Peninſulas. *Quomodo id probari poteſt*, inquit [1] *Lactantius*: *Nimirum veteres Hiſtoriæ*

Hæc Japeti *proles fuit.*

[1] *De Falſa Religione*, *Lib.* I.

ſtoriæ docent : deinde Autorem antiquum, *Euhemerum* citat, qui Deorum Hiſtoriam contexuit, ex Titulis & Inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebantur: Conſtat *Japeti* prolem, in immenſam multitudinem paucis ſæculis ſpatii creviſſe, idque partim a frigore *Boreali*, quod generationem maxime juvat: Conſtat illius partem aliquam, *Gallos*, examina populorum in alias regiones emiſiſſe quamplurima, & in *Britannias*, *Atrebates*, *Pariſios*, *Icenos*, *Cantios*, & denique *Belgas* : Hi poſtremo dicti, ſæculo ante natum Chriſtum ſeſquialtero, ante *Claudii* adventum annos circiter CC, *Britanniam* intrarunt. Floruit iſto ſæculo *Divitiacus*, qui *Cæſaris* memoria totius *Galliæ* Rex fuit potentiſſimus: hic cum *Britanniæ* magnæ partis imperium, ipſo tradente, obtinuerat, expeditionis hujus *Britannicæ* Dux a nonnullis, ſed nec immerito judicatur.

Ex Euhemeri teſtimonio.

§. VI.

QUOQUOMODO res iſta ſit, *Belgæ* litus, quod Inſulæ *Vecti* opponitur, attingentes, *Regnis*, ut alibi tradidimus, ex eo pulſis, *Ventam* adgreſſi ſunt, eique in ditionem

Belgæ e Gallia venere,

ditionem redactæ Nomen, quod ad nostrum usque tempus duravit, addidere. Deinde, novis forte populorum accessionibus gradatim aucti, late longeque se diffundentes, illum terræ tractum, quem in Tab. Chorographica delineavimus, occupavere, tenuere, coluere; sic, ut in nobilissimis hujusce Insulæ Nationibus se haberi fecerint: *Romanis* autem, in retinenda sub Jugum *Britannia*, maximo fuerint auxilio.

§. VII.

MINIME dubitandum est, quin, ut *Belgæ* hi fuere Natio sui juris, ita Leges suas, ita Consuetudines, ita peculiarem, quam ex *Gallia* forte transtulerant, rerum administrationem, aliaque omnia, quæ liberæ Civitatis sub Rege sunt, tenuerint; præcipue vero Bellum indicendi jus, quo videntur uti plus nimio: Hoc enim Civitatibus, Insulæ hujus meridie positis commune fuit, quod, quum infinita hominum multitudine abundarent, variisque de Causis inter se dissentirent, frequentissimis sese bellis attererent. *Cassivellano*, ait *Cæsar*, *cum reliquis Civitatibus continentia bella intercesserant*. Sic etiam

Sui juris Populus;

etiam aliis Regibus inter se, & nonnumquam populis cum Regibus.

Religionem Druidum *amplectens.*

ATQUE hic *Belgarum* status fuit, ante *Julii Cæsaris* adventum, bello paceque administrandis, Pecoribus (quorum magnus erat numerus) pascendis, Mercatura etiam, maxime cum *Gallis* exercenda, Agris colendis occupatorum. De eorum Religione si quæstio sit, a *Druidibus* & *Phœnicibus* eam fuisse deductam, confessa res est: quæ autem ea esset, a viris doctis passim abunde declaratur. Enimvero, licet a *Germanis Belgæ* traxererint originem, non ab his in *Britanniam*, quicquid umquam accepit ea de *Wodeno*, *Friga*, ceterisque Diis *Germanicis*, transvectum est; e diverso constat omnem illam Deorum turbam, eorumque cultum, a *Saxonibus*, qui multis inde post sæculis Insulam hanc infestare, & demum subegere, huc inferri.

§. VIII.

Romanos Belgium *mature accepit.*

CUM *Romani* sub *Claudio Britannias* subegerant, permagna in *Belgio* rerum mutatio mox secuta est. Omnino dubium est, ubi terrarum *A. Plautius*, qui primum ab Imperatore missus est, e navi-

bus

bus descendit; at dubio procul *Vespasianus*, Insulam *Vectim* attingens, *Britanniæ* litus *Belgicum*, quod est in propinquo, adivit, ibique exercitum exposuit; *Belgio* nimirum id honoris cessit, *Romanos* ut mature acciperet, iisque manus daret. Brevi deinde post tempore, *Regnorum* Princeps, *Cogidunus*, se suosque *Romanis* dedidit: cujus in causa fuit, quod a vicinis, in quorum numero fuere *Belgæ*, male habitus, Bellis scil. frequentibus lacessitus, præsidium & tutelam a *Romanis* speraverit. Hinc *Romanis*, a tergo tutis, in meditullium aperitur aditus: Tricies cum hoste conflixere: duas validissimas gentes, affirmante *Suetonio*, superque viginti oppida, in ditionem redegere. At illarum gentium unam fuisse *Belgas*, sine controversia verum est.

Cogidunus iis se dedidit.

§. IX.

TANTI habebantur hæ victoriæ, ut de iis [1] *Tacitus* [*Hoc initium venturæ mox Fortunæ fuit, domitæ gentes, capti reges, & monstratus fatis* Vespasianus.] Quinimo [*Triumphalia ornamenta, & in spa-*

Hinc Vespasiano Honos, hinc Imperium Romanum.

1 *In* J. Agricolæ *vita.*

ſpatio brevi duplex ſacerdotium accepit Veſpaſianus; *præterea Conſulatum, quem geſſit per duos noviſſimos anni menſes.*] Sed quod hiſce omnibus longe fortunatius, viam ad Imperium *Romanum*, ab his auſpiciis, ſibi ſuiſque patefecit; unde ſummi Honoris, Autoritatis, Amplitudiniſque culmen & faſtigium, quod in orbe extaret univerſo, Gens *Flavia* conſcendit.

§. X.

Gavius *hac Expeditione meruit:*

IN *Claudii* expeditione *Britannica* meruit *C. Gavius*, qui ſub *Vitellio*, jam ætate ſenior, Tribunus fuit duodecimæ Prætoriæ Cohortis, ſed Juvenis Bello *Britannico*, cum *Romanæ* Juventutis Flos pæne omnis Imperatorem comitaretur, &, ut opinari fas eſt, *militavit non ſine gloria.* Donis enim ab Imperatore propterea donatus eſt, quod Lapide vetuſto *Taurinenſi* patet.

C. GAVIO. L. F. STEL. SILVANO. TRIB. COH. II. VIGILVM. TRIB. COH. XIII. VRB. TRIB. COH. XII. PRÆTOR. DONIS. DONATO. A. DIVO. CLAVDIO. BELLO. BRITANNICO.

IN

IN Donis ſive Præmiis militaribus, quæ magni uſus ſunt ad honeſtandum & augendum bellicam Virtutem, Haſta, Torques, Armillæ, Phaleræ, Corona, Catellæ, Cornicula, Veſtes, Adoreum, Vinum, Imagines, Agri cenſentur: quorum aliqua, raro autem omnia, uni eidemque militi pro meriti ratione [1] tribuebantur, & in monumentis ſpeciatim interdum [2] enumerabantur. *Dona ei donata militaria.*

§. XI.

SED redeo ad *Belgas*: Hi, qui (ut dixi) ante *Julii Cæſaris* adventum, Mercaturam, maxime cum *Gallis*, exercuere, jam a *Veſpaſiano* domiti, *Romanorum* uſus & vitæ genus imitati, ad militiam, quæ eorum res erat præcipua, ſe dedere. Hoc enim moribus humanis, hoc conſuetudini gentium prope univerſæ conſentaneum, ut ad Victorum animos ſe vitæque ſuæ rationem, victi componerent. *Julius Vitalis*, de quo dedita in ſequentibus opera, Na- Belgæ *a* Romanis *ſubacti, militiæ ſe dant.*

1 *Vide* Lipſium *de Magnitudine* Romana, *Lib.* I.

2 *De Donis militaribus vide* Lipſium *de militia* Romana, *Lib.* V. *Dialog.* XVII. Stewechium *ad Vegetii Lib.* II. *Pag.* 120. *& in ſeqq.*

Natione fuit *Belga*. Hæc autem ἐπὶ τὸ πολύ, minime vero universe, sunt intellegenda: Nam *Belgæ*, ante *Julii Cæsaris* accessum, Bella cum vicinis gerere frequentissima, & a *Claudio* cum accepissent jugum, Mercaturæ crebro (quod infra fusius edisseram) eos operam dare pro certo habendum.

§. XII.

Belgæ *nostri a quibus memorentur,*

ROMANIS subjecti *Belgæ* raro sui mentionem habent factam ab Historicis; qui in Nationibus sive bello superatis, sive quibus id inferrent, dicendis, se maxime oblectarunt. Hoc de *Regnis* similiter notare licet, de quibus fere silet Historia. Verumtamen *Belgæ* nostri & a *Tacito*, & a *Dione Cocceiano*, & ab *Antonino*, & ab *Herodiano*, memorantur.

quibus in rebus inserviere Romanis.

FUERE sine dubio *Belgæ Romanis* in vitæ rebus expediendis, & bellis faciendis, utilissimi: præsertim ad *Durotriges*, ad *Dunmonios*, ad *Ancalites*, ad *Segontiacos*, ad *Dobunos*, ne dicam alias gentes remotiores, *Silures* scil. *Cangos* & *Brigantes*, sub jugum mittendos, & in fide retinendos. Pabulum, Frumentum,

tum, ceterasque species annonarias, ut in exercitus usum ante conderentur, attulere; aliisque modis quibuscunque *Romanis*, sic, uti Provinciales solebant, inserviere: sed in nulla alia re magis, quam in Viis *Belgii* militaribus tam primum muniendis, quam, uti postea facto opus, instaurandis.

§. XIII.

ROMANI in *Britannia* morati sunt annos circiter quadringentos, quo temporis spatio, magnam evenisse rerum pæne omnium mutationem omnino credibile est. *Romana* tam apud *Britannos* in usu fuit Lingua, ut ipsa *Britannia* jam [1] *Romania* censeretur. At de hac re Libri [2] Anonymi Auctorem doctum & gravem audiamus. [*As to our Temporals, the Multitude of* Romans *that from time to time came over hither, the large Estates they were possess'd of, the continual Trade they drove, with the civilized Inhabitants,* *Rerum in* Britannia

1 *Vide Historiam* Gildæ, *Sect.* V.

2 Historical Collections *relating the Originals*, &c. *of the Inhabitants of* Great-Britain, *Chap.* III. London, 1706.

tants, and the frequent Marriages, which were made between those of the highest Quality in the Empire, and this Province, give us a greater Alliance and nearer Kindred to that Glorious People, than to any other Nation of the World.]

sub Romanis *immutatio.*

Quæ vero de *Britannis* hic dicuntur, de *Belgis* sua proportione possunt intellegi.

§. XIV.

Domitorum hujus Insulæ Virtutes.

ENIMVERO, ut de hujus Insulæ Domitoribus distinctius dicam, in *Normannis* observanda Linguæ in tradendis legibus mutatio; in *Danis* immanitas, sævitia, temulentia, gula; in *Saxonibus* bellica Fortitudo juncta cum Pietate Christiana; in *Romanis*, scientia, prudentia, tam militaris, quam civilis, digna populo Orbis universi domino, cui vel parere fortunatum & in bonis habendum.

CAP.

CAP. X.

De Belgarum Lingua.

§. I.

CUM *Belgii* nostri τὰ πάλαια investigare, & in unum congerere fuit propositum, cogit instituti ratio, de *Lingua* ei quondam in usu quantulumcunque occurrit, in medium proferre. *Linguam*, qua usi fuerint hujusce Terræ primi incolæ, Coloniæ huc e *Gallia* principio migrantis esse, omnino cogitandum. Hanc autem *Runicam* fuisse constat, quæ per *Europam* Septentrionalem longe lateque fusa, & Dialectis variata [1] in hanc Insu-

Prima in hac Regione Lingua, Runica;

[1] *Vide* O. Wormii *Literaturam Runicam.*

Insulam, una cum populo primo se insinuavit, in eaque locum invenit diu ante *Latinam* & *Græcam*, vel inventam, vel animo cogitatam. Quamdiu vero tenuit, æque mihi ignotum est, atque tempus a *Gallorum* adventu primo ad *Belgarum* usque transfretationem; de quo ne conjicere quidem licet: cum (ut alibi retulimus) nulla supersint monumenta, quæ in re tam obscura lucem exhibere valeant: Centenos autem aliquot annos esse, non inani conjectura possumus existimare.

§. II.

sed vetusta. NOLO hic, in hujus rei testimonium, adducere *Runicas* Inscriptiones, ante annos circiter triginta, apud *Brigantes* erutas, & in Actis Philosophicis a nobis editas; cum illas non tam *Albionum* (i. e. Incolarum in *Britannia* vetustissimorum) quam *Danorum*, (qui in ea regione pluribus inde post sæculis grassati sunt; qui Linguam *Runicam* [1] retinuerunt, ejusque exempla in monumentis ibi reliquerunt) esse judicaverim.

§.

1 *Vide* O. Wormii *Monumenta* Danica, & *Act. Phil.* Lond. N. 178.

§. III.

RUNICA Dialectus, quæ in *Gallia* locum invenit, a puritate primigenia descivit, partim indigitum incuria, partim *Græcæ* & *Latinæ* Linguarum mistura: sic, ut *Belgas* huc appulsos veterem *Runam* incestasse, & corrupisse probabile sit: quod etiam ab aliis e *Gallia* [1] Coloniis, sive populorum examinibus similiter fieri probabile est. Atque hæc corruptio Linguæ *Albionicæ*, sive *Runicæ*, in hac Insula, ad *Romanorum* usque sub Imperatore *Claudio* in eam adventum, est continuata.

Quæ in Galliis *sensim corrupta,*

Runica *in* Britanniis *postea corrupit.*

§. IV.

POSTEA vero quam Imperator ille *Britanniam*, & *Vespasianus*, una cum ingenti *Romanorum* exercitu, *Belgium* ingressus sit, multo major variatio fuit Linguæ *Belgii* vernaculæ: neque hoc opinatu difficile, si quis illorum temporum morem & eventus rite perpenderit. Erant enim in exercitu tres Legiones, i. e. milites quasi 36000, qui per Insulæ

Post Romanorum *adventum in usu hic eorum Lingua.*

1 *V.* Græcæ *Linguæ Historiam*, *a* Gui. Burtono. Londinii MDCLVII.

tractum meridionalem propemodum omnem dispersi, cum Incolis sese miscuere, rebus omnibus, qua militaribus, qua civilibus interfuere. His adde *Romanos* in *Belgio* nostro mansisse annos, uti dixi, CCCC; quod ad Incolarum mores & ingenia prorsus subvertenda, tempus abunde sufficit: Victores enim ubique Linguam cum victis, si tempus siverit, communicant, & *Romanis* in usu fuit, (ut testatur 1 *Augustinus*) Gentibus a se devictis Linguam imponere Latinam.

§. V.

HIS adjici potest, quod observavit 2 *Tacitus*, [Britannos, *qui modo Linguam* Romanam *abnuebant, Eloquentiam concupiscere*] ut & 3 *Juvenalis* illud.

Romani *juris in* Britannia *consulti floruere peritissimi.*

Gallia *Causidicos docuit facunda* Britan-
(nos.

Maximi vero hic momenti est, quod a Librorum helluone, Doctiss. 4 *Seldeno*, de Juris *Cæsarei* apud *Britannos* usu dicitur, [*Eum nempe cum* Claudii *Imp. appulsu cœpisse, per annos* 360 *durasse, & simul hic ejusdem Juris viros peritissimos e* Romanis (Papinianum *scil. aliosque) floruisse.*] Hinc — 1 La-

1 *De Civit. Dei, Lib.* 19. 2 *In vita* Agricolæ.
3 *Satyra* XV. *V.* III. 4 *Ad* Fletam *Dissertatione.*

—— 1 Latia *sub Lege* Britanni.

Neque de nihilo a Sapiente 2 *Gilda Britannia* dicitur *Romana* Insula. Quibus ultimo loco addam, *Julii Vitalis*, natione *Belgæ*, Latinum esse Epitaphium. Hinc opinari ducor, Linguam in *Belgio* Latinam, multa quidem annorum sæcula, locum habuisse, atque adeo fuisse popularem. Verba Latina sub hoc tempus a *Britannis* adhibita, etiam nunc in eorum Lingua retinentur, eaque numero quamplurima: quod ex optimæ fidei 3 *Glossariis* abunde patet.

§. VI.

EX Prædictis sequitur, nullam *Belgii* fuisse Linguam peculiarem & vernaculam, nisi a *Belgarum* adventu, ad *Romanorum* in hanc Insulæ partem accessum: Antea vero *Runicam*, totius *Britanniæ* communem, etsi (ob causam modo expressam) non omnino purissimam; postea vero *Romanam* fuisse, sed quæ successu temporis *Saxonicæ* locum fecit.

P 2 CAP.

---

1 *Vet. Poet. Catalect. Lib.* I. *Tit.* 7. 2 *Vide Hist.* Gildæ, *Pag.* 3. Galeanæ *Ed.* 3 Humfredi *nempe* Lhuydi, Guilh. Salisburii, & David. Powelli, *quos videsis.*

CAP. XI.

De Diis Belgicis.

§. I.

Nulla Gens sine Deo.

CUM nulla gens tam barbara, tamque religione vacua sit, ut non aliquos esse Deos [1] credat, *Belgas* sine Deo, ejusque cultu ætatem egisse, nefas esset opinari: Quocirca, quænam a beccesselenis *Belgarum* originibus, (sic a *Vinando Pighio* dicuntur) sive *Britannorum* in *Belgio*, ad *Romanorum* e *Britannia* discessum, Numina colerentur, hoc capite conabor explicare: eorum exemplo, qui de *Diis Syris*, de *Diis Germanis* scripsere. Utinam sane scribenti mihi sup-

1 Max. Tyrius *Diss.* XXXVIII. Cicero *de Legibus, Lib.* I.

ſuppeteret tam ampla materies, tamque ſpei bonæ plena, & in ea excolenda tam felix ingenium!

MINIME dubitandum eſt, eos in *Britannia*, ne dicam *Belgio*, Deos primum adorari, qui e *Gallia* primum huc ab ejus populi Colonia portarentur, a *Germanis* accepti: quare, de hiſce primum verba faciam. Secundo loco, addam quotquot erant Aboriginum *Belgarum* ſive proprii, ſive cum vicinis in *Britannia* communes. Deinde eos, quorum in notitiam a *Romanorum* appulſu venimus.

§. II.

POST diſperſum a Diluvio, per univerſum Orbem, genus humanum, Idolorum cultu ſe illud turpiſſime inceſtare, manifeſtum eſt: *Germanos* ſcil. cultu *Solis*, *Vulcani*, *Lunæque*, ſecundum [1] *Cæſarem*: *Martis* autem, *Herculis*, *Iſidos*, maxime vero *Mercurii*, ſecundum [2] *Tacitum*: quo in numine colendo *Gallorum* Gens, admodum dedita Religionibus, (auctore *Cæſare*) eos imitata eſt; adjecereque

Veteris Germaniæ *Dei*,

Veteriſque Galliæ.

---

1 *De Bello* Gallico, *Lib.* VI.

2 *De Moribus* Germanorum.

reque *Apollinem*, *Jovem*, & *Minervam*. Mercurii, inquit ille, *sunt* (apud *Gallos*) *plurima simulacra*; *hunc omnium inventorem Artium ferunt*; *hunc viarum, atque itinerum ducem*: *hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur*:] ut & [Apollinem *morbos depellere*; Minervam, *operum, atque artificiorum initia transdere*; Jovem, *Imperium cœlestium tenere*; Martem, *bella regere*,] Sed qui horunce Deorum, cæterorumq; gentilium cognomina, quæque iis significantur officia, persequi voluerit, adeat *Jul. Aurelii Havrechi* Libellum, de hac re scriptum, & plus semel impressum. Nos ex ista *Germanorum Gallorumque* Theologia, quicquid ad *Belgas* nostros manasse videatur, expiscari studebimus.

Hinc manavit Theologiæ Belgicæ *initium.*

§. III.

De Mercurio.

A *MERCURIO* sumam initium, qui, ut viis ille præsedit, eæque in *Belgio* tum multæ fuere, tum etiam militares & illustres, hujus ergo præsidii non immerito coli censeatur. Sed ut hanc rem extra dubium ponam, Doctiss. *Galæus*, in explicandis veterum monumentis cum primis

mis ſagax, Agro *Cunetioni* vicino, (eſt illud oppidulum *Belgii)* tres Lapides pyramidales eſſe tradit, quos *Hermas* eſſe non ſine ratione judicat; iiſque non abſimiles, quos prope *Iſurium (Aldborough)* inventos, ære inſculpi fecit. Tres erant hujuſmodi Lapides in hoc Agro, ut in *Iſuriano*, & forte ad eundem uſum, nempe viam commonſtrandam; unde *Mercurius* dicebatur Ἐνόδιος & in [1] *Gruteri* Inſcriptione, *Deus viacus*. Moris erat veteribus *Mercurium* ſub hujuſmodi forma rudi pyramidali colere. *Saxones* IRMENSUL appellavere, i. e. *Mercurii* Columnam: *Irmen* enim *Mercurius* eſt, (referente [2] *Voſſio)* & *Suyle* Columna. *Germanorum Mercurius Wodeni* nomen habuit; unde illis *Mercurii* Dies *Wodentag*, & noſtris hominibus *Wedneſday*, quaſi *Woden's-Day*. Atque hæc de *Belgarum Hermete*, ſive *Mercurio*.

§. IV.

SOLEM ejus ſublimitas, ſplendor, magnitudo, calor, aliaque miranda commen- *De Apolline.*

1 *Pag.* 55. *N.* 5. 2 *Idololatr. Lib.* II. *Cap.* XXXII.

mendarunt humano generi; ſic, ut in cauſa fuerint, quod a nonnullis *unicum Cœli numen*; a quamplurimis, præcipuum haberetur: omnino igitur opinandum, a *Belgis* eum maturius accipi pro Deo; *Gallos* ſcil. imitantibus, a quibus originem, & religionem habuere. Hunc a *Belgis* jam inde a principio civitatis adorari cenſeo, tamquam ἀπολύοντα, i. e. liberantem a Morbis, eorumque Deum averruncum; tamquam ἀλεξίκακον, & inventorem Medicinæ: maxime vero poſtea, cum a *Romanis* edocti *Belgæ* eum honore Templi auxere, *Aquis Calidis* præfecere; nec non illæ ab eo præſide *Solares* (quod illis apud *Antoninum* nomen eſt) appellatæ fuere.

§. V.

De Jove. PARI fere de cauſa, in hoc Deorum numero *Jupiter* recenſendus; nempe quia

—*Divum pater, atque Hominum Rex:*

quia γεννήτωρ, i. e. *Genitor*, καὶ ἐξοχὴν; quia *optimus maximus*; quia βροντᾶιος, i. e. *Tonans* audiret. Has & hujuſmodi ob cauſas *Galli* eum venerati ſunt; & ſecundum illos

illos *Albiones*; atque adeo *Belgæ*. Qui tamen cultus ſub *Romanis* auctus eſt ſummopere, quando *Eburaci*, & *Luguvallii* Jovi O. M. *Devæ* Jovi O. M. *Tanaro*, i. e. Fulminatori; *Iſcæ Leg.* Jovi O. M. *Dolicheno* conſtruerentur Altaria. *Belgis*, cum hominibus *Iſcanis*, & *Devanis*, negotii, qua Legionarii, qua Ferrarii (quod alibi oſtendimus) multum interceſſit; ut in *Belgio* noſtro cultores etiam *Jovi* neceſſitudines & commercia parere, non eſt improbabile. Sed ut hanc rem abſolvam, omnique metu liberem, jam nunc in manibus *Jovis* Icunculam, in *Belgio* non ita pridem effoſſam, habeo: eſt autem Imago *Jovis*, uti ſuſpicor, *Ammonis*: eam comitabatur alia, quæ fuit *Tonantis*. Hæ ſunt idonei teſtes in *Belgio* cultum fuiſſe *Jovem*.

§. VI.

CUM in *Britannia* locum habuerit *Druidarum* Religio, *Belgæ* proculdubio illorum inſtitutis aurem præbuere: Utque moris erat illis *Magiæ* (i. e. ex antiquo vocis illius ſignificatu, rerum humanarum divinarumque cognitioni) ſtudere; ut & Auguriis faciendis, rebus civilibus

De Druidarum Religione.

administrandis, litibus dirimendis, Juventuti erudiendæ, medicinæ faciendæ, animarum post mortem transmigrationi, Quercuum cultui, studiis sine dubio iisdem favere *Belgæ*. Imo, si illis Hominum pro victimis immolatio, (quæ auctoritate 1 *Plinii*, & 2 *Acronis*, vet. in *Horatium* Scholiastis, est confirmata) *Druidibus* id deberi cogitandum est; qui scelera, nequitiamque, qui Avaritia & Ambitio quicquid dictaverit, in sacris haberi voluere, & pro Religione populo commendarunt: unde in Virtutibus apud eos Ανθρωποθυσία.

Tantum Relligio potuit suadere malorum!

OB immanem istam & stupendam feritatem, *Druidas* edicto 3 *Claudius* Imp. tamquam Hominum Monstra, jussit aboleri. Verum hanc *Druidarum* immanitatem non penitus hoc edicto aboleri constat; nam sub 4 *Nerone*, sub 5 *Alexandro* Se-

1 *Lib.* XXX. *Cap.* IV. 2 *In Libri* III. *Oden* IV.
3 *V.* Suetonium *in* Claudio, *Cap.* XXV.
Druidum *Dogmata, magnam partem e Schola* Pythagoræ *desumpta, ingeniose persequitur Syntagmatis de* Druidarum *moribus & institutis Auctor*, Londini, 1664 *impressus*.
4 *V.* Taciti *Annales*, XIV. 13, 2. 5 *V.* Lampridium *in* Severo, *Cap.* LX. Plinium, *Lib.* XXX. 1. Melam. III. 2.

Severo (quod teſtantur Hiſtorici) repullulavit; uti etiam, poſt tot ſæcula, noſtro hocce ævo; ſed, quod pudet dicere, multo crudelior: Quid enim aliud eſt *Paſſiva*, quæ dicitur, *Obedientia*, quam αὐτοθυσία; quæ eſt Ανθρωποθυσίας ſpecies omnino crudeliſſima. *Non adhuc abolita.*

§. VII.

IN omni Gentilium Theologia vix quicquam umquam uſitatius, quam Fluvios eorumque Fontes pro Numinibus haberi: [*Fluminum magnorum Capita veneramur.*] Inquit [1] *Seneca.* *De Fluminum cultu.*

[2] *Virgilius* de *Æneа*,

Hinc Deus ipſe loci Fluvio Tiberinus (*amæno*,
Populeas inter ſenior ſe attollere frondes
Viſus.

Quem in locum *Erythræus* [Tiberinus Deus *hac forma viſitur hodie* Romæ *erutus ex ruinis.*] *Nilus*, ab *Ægyptiis* Deus fuit habitus: Αἰγύπτιοι Ζεὺς Νεῖλος, inquit [3] *Parmeno Byzantinus.* [4] Ἔστι τοῦ ὑγροῦ ποταμοῦ πηγὴ ἡ

1 *Epiſt.* 21. 2 Æneid. VIII. *initio.* 3 Schedius *de* Diis Germanis, *Lib.* IV.. 4 Maximus Tyrius, *Diſſ.* XXXVIII.

καὶ ὠφέλειαν, ὥσπερ Αἰγυπτίοις πρὸς τὸν Νεῖλον.
Huic ſtatua erecta, tamquam Deo, quæ *Romæ* in Vaticano 1 viſitur. Numiſma item antiquum eſt, DEO SANCTO NILO ſignatum, quem *Joh. Mocenigum* habere ſcribit Cl. 2 *Funckius*. Sacrificatum Amni *Pamiſo* a 3 *Meſſeniis*, *Mæandro* & *Marſyæ* a 4 *Phrygibus*. Fontis *Clitumni* divinus apud 5 *Umbros* cultus. [*In Superſtitionibus atque cura Deorum*, (inquit de *Parthis*, e *Trogo*, 6 *Juſtinus*) *præcipua Amnibus veneratio eſt*.] Ubi *Tan. Faber* [*Omnes ferme Septentrionales populi Fluvios venerabantur*.] Etiam in novo orbe [*Flumina Fonteſque pro Diis habebantur*] ut 7 *Joſ. a Coſta*.

AD noſtra ut accedam, *Belatucadrum* Fluvium fuiſſe Doctiſſ. conjicit 8 *Galæus*, vel unum ex Fontibus *Itunæ* (*Eden* fl.) 9 *Bula* locum ſignificat in quo e Lacu Rivus effluit; *Aber* Rivum aliquem in alium delabentem: atque hinc conflatum Monſtrum hoc vocabuli. Coli vero in *Cum-*

1 Schedius, *Pag.* 96. 2 *V.* Begerum *in* Seldeni *de Diis* Syris, *Cap.* IV. *Synt.* 1. 3 Pauſanias *in* Meſſen. 4 Voſſius *de Idol. Lib.* II. *Cap.* LXXIX. 5 Plinii *Epiſt.* VIII. *Lib.* VIII. 6 *Lib.* XLI. *Cap.* III. 7 *Lib.* II. *Cap.* II. & IV. 8 *In Annotatis ad* Antonini *Iter.* II. 9 *Doctiſſ.* Lluydii *Additamenta ad* Camdeni Caermarthen-ſhire.

Cumbria Belatucadrum, tamquam Deum illius Regionis Indigetem, ex [1] Altaribus non paucis, ei inſcriptis, ibique loci effoſſis, evidentiſſimum eſt. Porro *Æſtuarium Lancaſtrienſe* a *Ptolemæo* Βελίσαμα dictum eſt, quod & Deæ nomen in vicinia [2] cultæ, Ara ei dedicata. Fluvii nomen eſt hodie *Ribell*, a *Saxonico Rhie*; *Beliſam* in ultima ſyllaba ſatis (ut *Seldenus* ait) ſervato.

EX Septentrione in *Belgium* migremus, ubi *Avona*, meditullio inter Oceanum & Sabrinam orta, *Dobunorum* terram præterfluit, & curſu flexuoſo planitiem magnam irrigat, multaque fœcunditate donans, inter eos eſſe videtur, [*humanis uſibus utiles, quibus* Divinus Honor, (ut [3] *Gildas* affirmat) *a cæco tunc Populo cumulabatur.*] Atque hæc de *Avona*, *Belgarum* Dea, ſufficiant. *De Avona Dea.*

§. VIII.

AD illud *Belgarum* numen accedo, quod hujuſce Inſulæ fuit a *Saxonibus* acceptum: *De Geada.*

---

1 *V.* Camdenum in Cumbria. 2 *De Diis Syris, Syntag.* 2. *Cap.* 1. 3 *Hiſtoria, Sect.* II.

ceptum : *Geadam* volo, ſive *Getam*, ab ejuſdem nominis Imperatore longe diverſum, & toto cœlo diſtantem ; *Aſſerius Ælfredi* Regis genealogiam, ab hoc [1] *Geada* ducit : nimirum eo recenſente ſecundus ſupra viceſimum fuit ab *Frithuwulf*, [*qui*, ut ait ille, *fuit* Fingodwulf, *qui fuit* Geada, *quem* Getam *jamdudum Pagani pro Deo venerabantur*.] Cujus utique rei *Sedulius* mentionem facit, in opere Paſchali, quod ad *Macedonium* Abbatem, B. *Hieronomi* coætaneum, Imperante *Theodoſio* Jun. ſcripſit, hiſce verbis,

Cum ſua gentiles ſtudeant figmenta Poetæ
Grandiſonis pompare modis, tragicoque (boatu,
Ridiculove Getæ, *ſeu qualibet arte ca- (nendi,*
Sæva nefandarum renovent contagia re- (rum,
Et ſcelerum monimenta canant, rituque (magiſtro
Plurima Niliacis *tradant mendacia byblis :*
Cur ego, &c.

HUIC Poetæ, ut homini *Scoto*, de gente vicina, ait Doctiſſ. *Gerhardus* [1] *Voſ-*

1 De Ælfredi *Rebus geſtis : ſub initium.*

1 *Vossius* [*non temere est deroganda fides*:] multo minus a nobis *Britanno*, & conterraneo nostro. Illi igitur habitæ hoc superaddam, quod ut toti *Belgio*, simul cum vicinis regionibus, præfuit *Ælfredus*, opinari licet a *Belgis* tribui *Britannico* huic Deo divinos honores. Sed de *Geta* hoc *Sedulii* aliter alii sentiunt.

§. IX.

ILLOS denique *Belgarum* Deos accedo, qui per *Romanos* iis innotuere: Horum princeps est *Minerva*, quæ cum a medendi arte, bonaque valetudine, quam præstare crederetur, *Italia Græciaque* claruit, & aliquando 2 *Pæonia* & *Hygiæa* dicta est, *Aquas Calidas* sibi dicatas habuit; unde a *Britannis Caer Palladour*, i. e. *Aquæ Palladiæ* Urbs nominata est. Hinc (ex 3 *Solini* testimonio) [Fontibus Calidis *opiparo excultis apparatu ad usus mortalium, Præsul est* Minervæ *numen, in cujus Æde perpetui Ignes nunquam canescunt in favillas.*] *De Minerva,*

HONOS autem ille *Minervæ* datus est ex parte forsan *Domitiani* gratia, qui Deam *Ejusque Templo, Aquis Calidis erecto.*

1 *Idololat. Lib.* I. *Cap.* XXXVI. 2 *Ut a* Pausania *Lib.* I. *traditum.* 3 *Cap.* XXII.

Deam illam, cujus se filium haberi voluit, [1] superstitiose colebat. Hujus exercitus sub *Agricola*, cum *Belgium*, omnemque *Britanniam* meridionalem subjecerat, pro imperio egit, & quæ *Domitiano* placerent, fieri curavit. Sub hoc tempus *Aquæ* forsan in tutelam *Minervæ* sunt dicatæ, & Templum ei constructum.

§ X.

De Hercule.

HERCULES apud antiquos tanto in honore, tamque multiplex fuit, ut nulla fere civitas esset, quæ suum non haberet, Deum ἐπιχώριον: eique non uno in loco suorum bonorum decumam partem dono dedere; ut ex [2] *Plauto* patet, & Inscriptione inter [3] *Vignolii* selectas. *Lepti*, in *Africa*, *Septimii Severi* patria, fuit instar omnium Deorum: Unde Nummus illius Imperatoris *Herculi* inscriptus. Quanti fuerit apud *Dunmonium*, a Promontorio illi sacrato colligere est: quanti apud *Belgium*, ab *Aquis Calidis*, sub illius præsidio

---

1 *Vide* Suetonium *in* Domitiano, *&* Dionem Xiphilini, *Lib.* 2 *In* Bacch. *Act.* IV. *Sc.* 4. *V.* 15. Truc. *Act.* 2. *Sc.* 7. *V.* 10. 3 *Pag.* 337.

præsidio beatis & placide prosilientibus. Quam fortiter Aquis hisce præsidet, quam strenue defendit, & e quibus effluunt, tuetur Urnas! nempe Leonina pelle indutus, fuste armatus, & torvo vultu, qui plane terriculo sit. Tres ibi sunt Imagines, *Herculis* cultum indicantes, quæ jam in urbis mœnibus apparent [*una*, inquit Doctiss. 1 *Galæus*, *in utraque manu serpentem constringentis, altera duos Angues comprimentis, & tertia sinistram attollentis, cum clava in dextra.*] His (quod dictu probabile) cum serpentibus visis, 2 *Gildas* exclamavit [*Patriæ portenta, ipsa Diabolica pene numero vincentia, quorum nonnulla lineamentis adhuc deformibus intra vel extra deserta mœnia, solito more rigentia, torvis vultibus intuemur.*]

Ejusque Aquis Calidis Imaginibus.

Διὰ τὴ τα θερμὰ, inquit 3 *Athenæus*, λεῖρα τὰ φαινόμενα ἐκ τ᾽ γῆς πάντες Ἡρακλέκς φάσιν 4 εἶναι ἱερά; i.e. *Cur calidas, quibus lavamus Aquas, e Terra scaturientes omnes* Herculi *sacras esse dicunt?* Meminit 5 *Strabo Ædepsi Eubœæ*, ubi calida sunt *Herculis* Lavacra.

R Qui-

1 *In* Antonini *Iter* XIV. 2 *Initio Epistolæ.* 3 *Lib.* XII. 4 Herodotus *in* Πολυμν. 5 Erasmi *Adagia.* Kusteri *Notam* N°. 1047, *in Nubes* Aristophanis.

Minerva & Hercules σύμβωμοι.

Quinimo 1 Balnea dicebantur *Herculana*, 2 *Minerva* (ut ex *Pisandro* patet) fesso *Herculi* Calidum Balneum suppeditavit, ejus 3 Comes & in periculis Adjutrix fuit; Peplo eum donavit: Unde eos *Aquis Belgii* nostri *Calidis* Σύμβωμος fuisse autumo.

---

1 Erasmi *Adagia*. 2 *Ibi*. 3 Pausaniæ, *Lib*. IV.

CAP.

CAP. XII.

AD
VIRUM ORNATISSIMUM
ROBERTUM EYRE, Eq. Aur.

Unum e *Banci* Regii Juſtitiariis,
Ducatus *Cornubienſis* Cancellarium.

Introite, nam & heic Dii *ſunt.*
——*O fidi* Romæ *ſalvete* Penates !

INTRODUCTIO.

DUM in *Belgii* noſtri lucubratione, *Vir Clariſſime*, ſum occupatus, *Iſcam* opportune advenit, e *Wiltonia* veſtra, quidam, Deos ſecum apportans; *Penates.*

tans ; quos ille non ita pridem humo effodit, & quæstus ergo circumtulit: Est enim Olitor, dumque Terræ evertendæ, apud *Devisas*, satageret, in conspectum fortuitu venere, Gentilium Icunculæ Deorum, quales utique raro spectentur. Numero sunt undeviginti; Bruta, Hominesque, Deos, Deasque, Consentes, Selectos, Cabiros, incertos, ignotos, medioxumos, infimos, repræsentantes. Figuræ sunt ex Ære fusili; sed quæ Plumbo, liquefacto & infuso, implentur: Unde Gravitas earum expectatione major. Erant Latere quadrato (quæ *Romani* forma fuit) opertæ, inter rudera veterum ædificiorum, altitudine sex pedum. Hujusmodi vero rudera, quando pleraque hic detecta sint, Pagum hunc fuisse nobilem, etiamsi nomine carentem, abunde monstrant. Nummorum magna vis, Urnæque creberrime solent passim hic inveniri. *Seriam* hic inventam, sex circiter congiorum, habet domi Olitor; de qua in *Belgii* Capite xvii.

Ubi inventi.

UT autem ad *Penates* hos particulatim accedam, en eorum Figuras; quarum pleræque Prototypis æquales: Hæ cum Tuæ Munificentiæ *(Vir Reipub. amantissime!)* debeantur, Ipsi Dii Tibi gratias

Penates, *apud* Devisas, *in* BELGIO *nostro Effossi, Anno 1714.*

Tab: IV pag: 125

ffig. 1.

Venus.
Long: Unc: vi $\frac{1}{4}$.
Pondo ℥xi ℔

2.

an Iupiter Ammon?
Long: Unc: v, ℥℥.

3.

Neptunus
Long: Uncias iv.
Pondo ℥iiii, ℥℥.

4.

Hercules.
Long: Unc: iiii $\frac{1}{2}$.
Pondo ℥ vi, ℥℥.

5.

Vulcanus.
Long: Uncias iii ℥℥.
Pondo ℥iii ℥℥.

gratias rependunt, & Tuarum rerum curam & præsidium suum benigne pollicentur: harum

§. I.

PRIMA *Venerem* repræsentat. Tam eximia fuit, tamque præclara *Veneris* forma, (quæ illam [1] *Cinyræ*, Regi *Cyprio*, cujus Scortillum erat, commendaret, atque adeo toti *Græciæ*) ut omnibus amabilis, delicium, & summo in honore, tandem ipso *Cinyra* autore, in Numen eveheretur. In Cœlum recepta rei Meretriciæ præsedit, quam cum primis intellegere putabatur; cum prima omnium, tradente [2] *Lactantio*, Artem meretriciam instituisse, mulieribusque persuasisse dicebatur, ut corpore quæstum facerent; ne sola videretur impudica. Quod Amoribus illicitis præfuerit, nunc Πορνὴ, nunc Πάνδημος, nunc Ἑταῖρα dicta est. A Forma ἡ Μορφώ, apud [3] *Lacedæmonios*: A pulchris Natibus, [4] *Callipygos* appellata est: 1. *Venus.*

---

1 Clemens Alexandrinus *Admonitione ad Gentes.* Theodoretus *Lib.* III. *de Curatione* Græc. *Affectuum.* 2 *De falsa Religione, Lib.* I. 3 Pausanias *in* Laconicis. 4 Havrechus *de Cognominibus Deorum Gentilium, Lib.* II. *Cap.* IV.

est: *Veneri Callipygo*, [1] *Syracusani* Templum erexere. Ab antiquis Amorum, Gratiarum, Pulchritudinis, Deliciarum, Voluptatumque omnium habita est Dea. [*Neque Meretrices tantum*, (affirmante prænobili doctissimoque [2] *Herberto*) *sed & pudicæ etiam Puellæ colebant, ut Venustatem, Pulchritudinem, & Gratiam sibi apud omnes conciliarent; sed & Viduæ quoque fœlices ab ea alteras Nuptias precabantur.*] Adeo nimirum omni ævo Viduis eadem mens, idemque animus.

ICUNCULA, quæ ad servandam hujus Deæ Formam, & admirabilem Symmetriam, ex ære fusili conflata est, Caput habet Vitta circumdatum, Cirros hoc, illo latere dependentes: Dexteram ad Uber elevatam; Mamillas sororiantes; Pectus bene castigatum, & Ventrem infra non nimis tumentem. Brachio caret sinistro, cujus Manus ad interfemineum obtegendum (erat enim valde pudica) forsan erat demissa. Ut in *Venere Arundeliana*, cujus apud doctiss. [3] *Pricæum* exstat Figura, satis speciosa; qua tamen nostra

---

1 Athenæi *Deipnos. Lib. XII. in fine.* 2 *Religione Gentilium. Pag.* 133. 3 *Vide Notas ejus in Apologiam* Apuleii. *Pag.* 93.

nostra multo speciosior; quæque forsan omnes hujusce Deæ Imagines, quæ nunc supersunt, Artuum mira compositione vincit, & formæ eximium decus ostendit: Nates scil. quæ *Syracusanis*;

Brachia, & Vultum, teretesque Suras,

quæ vel *Horatio* placerent. Plura hic notare nefas. Omni parte *Venus* est. *Veneri* suum Poemation nuncupavit *Lucretius*; *Æneæ* sui matrem esse statuit *Virgilius*. Quæ lepide, quæ diserte, quæ pulchre dicuntur, ea *Veneres Cupidinesque* sunt. At Deæ hujus non infima laus est, quod (ut ex hac Icuncula patet) Penatium una sit. *Romani* nudas *Veneris* statuas amarunt; raro *Velatas* apud eos invenire licet. Etiamsi *Plinius*, [*Græca*, [1] inquit, *res est nihil velare*] nihilominus idem alibi tradit *Praxitelem* duas fecisse hujus Deæ statuas, *alteram velata specie*. In præclari hujus statuarii *Venerem* exstat [2] Epigramma perelegans *Eveni*.

Πάλλας ἡ Κρονίδαο συνδίνεσις εἶπον, ἰδοῦσαι
Τὴν Κνιδίην, ἀδικῶς ἢ φρύγα μεμφόμεθα.

i. e.

---

1 *Lib.* XXXVI, *Lib.* V.
2 *Antholog. Lib.* VI. *Cap.* 12.

i. e.

Ut Cnidiam *videre* Jovis *soror*, *atque* (Minerva;
Dixerunt, *querimur non bene de* Paride.

§. II.

2. *Jupiter Ammon.* *JOVI* inter varia ejus cognomina (de quibus affatim *Havrechus*) nonnunquam [1] *Ammonio* datum est appellari: cujus hoc in causa esse dicitur. [Jupiter *sub specie Arietis cultus in* Libya; *sic dictus quod sitienti* Libero *Patri in* Arabiæ *desertis*, Jovemque *imploranti apparuerit in forma Arietis*, *terramque concutiens pedibus fontem ostenderit. Quamobrem Templum illic ædificavit*, Jovique Ammoni *h. e.* Arenario *consecravit.*] Ita *Nicol.* [2] *LLoydius.* Sed omissis his quisquiliis & nauci fabulis, ut id, quod sanius est, expromam, alii *Noæ* filium, *Ham* appellatum, cujus posteri *Libyæ* cultores, *Hammonis* sive *Ammonis* nomine pro Deo (sic, uti plerisque nationibus in more fuit) hic cultum opi-

1 *Vide* Havrechum, *Lib*, I. *Cap.* 3.
2 *In voce* Ammon.

opinantur: atque ista *Vossii Fullerique* nostri sententia, mihi probabilis videtur. *Jupiter* autem, ut patet ex [1] *Macrobio*, Sol esse putabatur; utque Radiis hic, sic ille Cornibus insignis. Atque hinc de *Jove Ammonio* Historia.

De hoc *Cornuto Jove*, [2] *Lucanus*

——*Stat Corniger* Ammon.

Potuit (inquit [3] *Borremansius*) *Cornutus* appellari *Jupiter* a Mitra, *Cornuto* Capitis gestamine, quam & Sacerdotibus *Ammonis* in usu fuisse constat. Habet *Jovis Ammonis* in Penatibus Icon Cornu tortuosum, & quidem unicum: quod ad eum demonstrandum nonnullis sufficere videatur; nihilominus ἐπέχω.

§. III.

NEPTUNUM ostendit, ejus Insigne, Tridens. 3. *Neptunus.*

Ita de *Æolo*, *Virgilii Neptunus*.

[4] *Non illi Imperium Pelagi, sævumque Tridentem,*

1 *Lib.* I. *Cap.* XXIII. 2 Pharsaliæ, *Lib.* IX.
3 *Variar. Lectionum*, *Cap.* XIX. 4 Æneid, *Lib.* I.

Sed mihi sorte datum.——

[1] *Tuque O, cui prima frementem*
Fudit equum magno tellus percussa Tri-
Neptune! *(denti,*

AT in Prototypo nostro, *Tridentis* hujus Icone, breves sunt Dentes, ut & obtusi; multo aliter, quam in hujus ævi Tridentibus *Neptuniis*, sive penicillo, sive scalpro delineatis.

§. IV.

4. *Hercules.* Τοῦ δὲ, inquit [2] *Apollodorus*, παιδὸς ὄντος (Ἡρακλέους) ὀκτομηνιαίου, δύο δράκοντας ὑπερμεγέθεις Ἥρα ἐπὶ τὴν κλινὴν ἔπεμψε, διαφθαρῆναι τὸ βρέφος θέλουσα. ἐπβοωμένης δὲ Ἀλκμήνης Ἀμφιτρύωνα, Ἡρακλῆς διανασὰς ἀγχὼν ἑκατέρας τὴν χεῖρα αὐτοὺς διέφθειρε. i. e. *At cum* Hercules *octo Jam menses natus esset, Dracones duos inusitatæ magnitudinis* Juno *Infantem perdituros, in lectum demisit:* Alcmena Amphitryonis *opem implorante*, Hercules *in pedes erectus utraque manu constrictos ipsos necavit.* Fuit non ita pridem *Aquis Calidis* Imago *Herculis*, duos Angues ambabus ma-

---

1 Georgic I. 2 *Lib.* II. *Sect.* 8.

manibus, ſingula ſingulum, comprimentis: ut in 1 ſuperioribus oſtenſum eſt.

§. V.

E COELO *Vulcanus*, in *Lemnum* Inſ. ſimulque natus eſt, ob deformitatem, a Matre *Junone* præcipitari fingitur, & ex eo tempore claudicare; unde *Juno* illum apud 2 *Homerum* κυλλοποδίωνα vocavit. At aliam hujuſce Claudicationis cauſam 3 *Phurnutus* exhibet. Fabellam, quam voluerit, pro arbitrio Lector eligat: ſunt enim utræque παχυλῶς, & ejuſdem notæ. Hinc 4 *Catullus*, 5. *Vulcanus.*

Vovit, ſi ſibi reſtitutus eſſem,
Scripta Tardipedi Deo *daturam.*
i. e. *Vulcano*, ſive Igni.

5 *Columella*
Quin & Tardipedi *Sacris jam rite ſolutis,*
Nube nova ſeritur.

1 *Cap.* IX. *Sect.* 10. 2 *Iliados* ύ. 3 *De Natura Deorum*, 19. 4 *Vide Carmen in Annales* Voluſii. 5 *Lib.* X. *De Cultu Hortorum.*

§. VI.

6. Bacchus. SEXTA videtur esse *Bacchi:* quid enim in sinistra Discus ille, nisi qui *Horo, Ægyptiorum Baccho*, ut ex 1 *Chartario* patet, adjacere soleat? Dextera *Poculum*, Vino forte plenum habet. Quid quod duo etiam *Cornua*, quæ recens ex temporibus prodire videantur, & a 2 *Philostrato*, *Bacchi* Insignia dicuntur, aspicio. Plura de *Baccho* infra.

§. VII.

7. Pallas. *PALLAS* hæc omnino est 3 Αρεια, i. e. Fortis, Strenua, Martialis; cui apud *Plataenses* Templum, ex *Marathone* pugnæ manubiis ædificatum est. En illam, dextera tenentem Hastam, sinistra *Ægidem*, capite Galeam: sed quæ Apicem non rotundum, uti 4 *Salii tutulati*, verum habet, oblongum, a fronte ad occiput ducentem. Dicta est *Pallas*, ἀπὸ τοῦ πάλλειν

1 *Pag.* 295. 2 *In* Ariadnes *Imagine.* 3 Havrechus *de Cognomin. Deorum. Cap.* III. 4 *De quibus vide* Tobiæ Gutberlethi J. C. *de* Saliis *Lib. singularem. Cap.* XI.

Tab: V pag: 132

6.

Bacchvs.
Long: Unc: iv $\frac{4}{8}$.
Pondo ℥iv, ℥v.

7.

Long: Unc: iv.
Pondo ℥vi ℈.

8.

Pallas.
Long: Unc: iii, $\frac{3}{8}$.

Tab: V pag: 132

6.

Bacchvs.
Long: Unc: iv $\frac{4}{8}$.
Pondo ℥iv, ℥v.

7.

Long: Unc: iv.
Pondo ℥vi ℈.

8.

Pallas.
Long: Unc: iii, $\frac{3}{8}$.

Tab: VI, 133.

9.

Virgo Vestalis.
Long: Unc: iii $\frac{1}{4}$.
Pondo ℥vii ℈ℨ.

10.

Mercurius.
Long: Unc: iii $\frac{1}{4}$.

πάλλειν τὸ δόρυ, a vibratione Haſtæ: Dicta etiam eſt *Armiſona*, unde [1] *Virgilius*,

—*Tum Numina Sancta precamur*,
Palladis Armiſonæ.—

Dicta eſt *Stratia*, ſive Militaris: Δορυκέντωρ, i. e. *Haſta pungens*. *Glaucopis* a formidoloſo Vultu; *Gorgonea*, a Vultu truculento. *Palladis* hæc Cognomina varias ejus virtutes indicant, eaſque ſatis oſtendit Imaguncula; præcipue vero truceem aſpectum, *Gorgoneo* pæne æqualem.

§. VIII.

VESTÆ hæc Sacerdos, velata & ſtolata, ut Myſteria Religionis Sanctitatemque ſignificet, dextra Pateram habet, quæ ſe ad Sacrificia facienda paratam oſtendat; ſiniſtra Librum, ut opinor, *Rituale*, veterum more, convolutum: [2] Plurimi Ritus, & Cæremoniæ fuerant *Veſtalium*, qua diſcentium, qua exercentium, docentiumque, quas ob multitudinem Scriptura ſervari voluit Religio. 8. *Virgo Veſtalis Maxima.*

VESTAM

---

1 *Æneid. Lib.* III. 2 *Vide* Dionyſium, *Antiq. Rom. Lib.* II. *Sect.* LXVII.

VESTAM de numero *Penatium* esse, vel certe comitem eorum [1] *Macrobius* affirmat: quin & *Penatibus* eam jungunt Numismata; quorum unius exstat, in *Lipsii* de *Vesta* [2] Syntagmate, Figura; uti etiam statuæ *Vestalis Maximæ*, huic nostræ Virgini non absimilis, quæ quidem *Maximam* exhibere *Vestalem* non immerito credatur.

§. IX.

9. *Mercurius.* AD *Mercurium* accedo; hujus enim Nonam esse Figuram autumo, quando veteribus hujusmodi *Mercuriolos* in usu fuisse, nulla sit dubitatio. Talem *Apuleius* habuit, (de quo alibi) & quidem comitem, quoquo iverit; pæne dixeram, e Penatium numero Deorum: In utroque (tam *Apuleii* illo, quam hocce nostro) lepide & festive omnia; in nostro, tamquam corpus in aere Brachio exporrecto librantis, & jam nunc a *Jove* nuncii gesticulantis. Deest equidem Marsupium; deest Gallus; at omnino constat *Mercurium* apud antiquos non eadem semper figura sive pictum, sive scalptum, sive

1 *Lib.* III. *Cap.* IV. 2 *Cap.* VII.

ſive fuſum fuiſſe. In Petaſo Pinnulæ paulo altiores ſunt, id quod ex artificis errato, dicam, an de induſtria factum? certe apud 1 *Tob. Gutberlethum* occurrit ex *Oudanio* & *Gutherio* nummus, in quo *Mercurius* Galeam habet, eique Alas infixas, & in altum, ut in hac Imagine, elatas. 2 *Apuleius Mercurium* inducit Puerum luculentum, nudum, hilarem, aſpectu jucundum. 3 *Martianus Cap.* eum deſcribit Adoleſcentem, venuſto, alto, ac robuſto corpore, pubeſcentibus genis, neque ullam Alarum, aut Caducei mentionem facit. Caduceum ſiniſtra tenuiſſe noſtrum *Mercurium* omnino probabile eſt; ſed tempore effractum.

UT *Alexandro Mammææ*, ſic & *Porphyrio*, totique *Gallicæ* Nationi, in magna veneratione fuit *Mercurius*: neque mirum, quando Rationis & Orationis exhibitor, quando Mercuratæ & Viarum Præſes, quando Literarum, Muſices, Palæſtræ, & Geometriæ inventor, quin & Divitiarum dator audiret.

§.

---

1 *Vide ejus Lib. de* Saliis, *Cap.* XI. 2 *In Apologia, Pag.* 72. 3 *De Nuptiis Philologiæ & Mercurii. Lib.* I. *Pag.* 3.

§. X.

10. *Lupa, Romulus, & Remus.*

MERETRICES olim Lupæ dicebantur: Sic [1] *Catullus*,

Tamquam comminctæ spurca saliva Lupæ.

Et [2] *Plautus*,

Divortunt mores virgini longe ac Lupæ.

Nominis rationem reddit [3] *Isidorus* [Lupa *Meretrix*, inquit, *a rapacitate vocata, quod ad se rapiat miseros atque reprehendat.*]

[4] *APULEIUS* more suo [*Ipse propudiosus, Uxor* Lupa, *Filii similes prorsus.*]

DEINDE, *Larentiam*, *Faustuli* uxorem, *Romuli* & *Remi* nutricem, fuisse Meretricem, i. e. *Lupam*, pro concesso sumitur; atque hic Fabellæ ortus, Fratres illos a *Lupa* quadrupedi lac hausisse: voce æquivoca viam errori faciente. Ita

1 *Livius*

---

1 *Ad* Juventium. 2 *Epidic. Act.* III. *Sect.* II.
3 *Pag.* 1080. *Ed.* Put. 4 *In Apologia.*

1 *Livius* [*Sunt qui* Larentiam *vulgato corpore* Lupam *inter Pastores vocatam putent : inde locum fabulæ ac miraculo datum.*] Huic conveniunt 2 *Dionysius* 3 & *Plutarchus*.

BESTIA jam in mulierem mutata, de *Romulo* & *Remo* licet ex 4 *Dionysio* notare, quod [*erant dignitate formæ, & animi celsitudine, non subulcis aut bubulcis similes, sed iis quos quivis stirpe regia ortos judicasset, & iis qui ex Deorum semine creduntur nati :*] atque hunc in modum, a *Romanis*, in patriis Hymnis ac Cantilenis, ætate *Dionysii*, fuisse 5 celebratos : quæ quidem omnia nostris Imagunculis non inepte repræsentantur.

§. XI.

CICERO Lib. I. De Nat. Deorum. [*Quid censes igitur* Apin *illum Sanctum* Ægyptiorum *Bovem, nonne Deum videri* Ægyptiis ?] Et 6 *Plinius*, [*Bos in* Ægypto *etiam Numinis vice colitur*, Apim *vocant.*] 15. *Apin.*

T §.

1 *Lib.* I. *Et* Aur. Victor *de Origine Gentis* Rom. *Cap.* XXI. 2 *Lib. primo.* 3 *In* Romulo. 4 *Loco jam citato.* 5 *Æneid. Lib.* VIII. 6 *Lib.* 8. *Cap.* 46.

§. XII.

16. Anubis. DE *Anubi* res apertissima est, Numen illud *Ægyptiacum* esse; de quo *Virgilius*,

—— 1 *Latrator* Anubis.

Et 2 *Juvenalis* de Diis *Ægyptiis*,
Oppida tota Canem *venerantur*.

§. XIII.

17. Bucephalus. MULTA congessit *Æl. Lampridius*, bona cum fruge legendus Auctor, quibus ostendit *Alexandrum Mammææ*, *Macedonicum* illum Magnum, in plurimis sequi, atque adeo studiose & diligenter imitari. *Illius gratia nomen* Alexandri *accepit: Nummos figuravit illius habitu complures: Vitam ejus lectitavit: Inter Divos & Optimos eum in Larario majori consecravit: Laudes ejus libentissime audivit: Sæpe in honorem ejus potavit:* (hoc *Græcorum* more factum, qui Regum, Principum, & Deorum honori pocula consecrabant, & bibebant:) *Fecerat*, more Macedonico;

1 Æneid. *Lib.* VIII. 2 Sat. 15.

16.

Anubis.

Long: Uncias iii ss.
Pondo ℥vi, ss.

17.

Bucephalus.

Long: Unc: iii, e quad:
Pondo ℥iii–℥vi.

18.

Bacchus.

M Burghers sculp.

19.

PENATES hi Guil: Cadby, apud DEVISAS Olitoris, Ære incisi, et Charta Imperiali impressi, venerunt a Bibliopolis Knapton Londinensi, Clements Oxoniensi, et Yeo Exoniensi.
MDCCXVII.

Nobilissimo Principi
FREDERICO
GEORGII filio Celsissimi,
GEORGII Nep: Augustissimi,
CÆSARI destinato,
M. BRITANNIÆ Spei, Deliciis,
Animaq; desideratissimæ,
PENATES hosce, Annos sesquimille Terra absconditos, voti & Obsequii sui Pignus, Sacrari voluit,
Gulh: Musgrave, G. F.
ISCANUS.

cedonico, χρυσάσπιδας & Αργυράσπιδας: *fecerat* & Phalangem, *Alexandri M.* imitatione: quibus abunde patet, quam Imperatori *Romano* cara fuerint Regis ὁμωνύμου *Macedonici* pene omnia; neque alienum videbitur, si, cum viris eruditione claris, Equum hunc *Bucephalum* esse cogitavero.

§. XIV.

POSTREMÆ duæ Figuræ Numeris 18 & 19 signatæ, Prototyporum magnitudini non respondent; iis enim minores sunt. Harum prior *Bacchi* esse videtur, utpote Adolescentis Cornuti, ἀσάρκου, bene colorati, & caput Roseo serto redimiti: Quid autem Dexteram inter Corpusque teneat, non recte accipio; nisi Culleus, sive Saccus Coriaceus sit, ad vinum deportandum; qualem majori [1] forma *Leon. Augustinus* in sacrificio *Bacchi* descripsit. Græce dicitur ἀσκὸς, quod Principi Potatorum [2] præmium erat. 18. *Bacchus.*

BACCHI Figura veteres Juventutem, Robur, & Formam expressere; quæ

 quidem

1 *Ad* Gemmam, *p.* 134. 2 *Vide* Aristophanis *Acharn.*

quidem omnes hac noſtra eminent. Robur, Juventutis Comes eſt; una Diſputatio eſt de *Forma*; nimirum, qui fieri poſſet, ut ebrioſo, prætumidoque puſione, cui

Pinguis Aqualiculus propenſo ſeſquipede (exſtat,

Cornu olim Honoris ſignum,

FORMÆ Decus ſignificetur; præcipue quatenus *Cornua* ſint formoſa; quando hodie notiſſima res ſit, *Cornua* jam multa annorum ſæcula Infamiæ ſigna, ſic, ut apud vulgus vix quicquam magis, exſtitiſſe. Certum eſt, apud antiquos Honorem, Gloriam, & Salutem ab iis indicari; hoc oſtendunt tum S^æ. S^æ. tum Auctorum Ethnicorum loci quam plurimi. In illis *Cornu Salutis meæ:* *Cornu* apud eos ſplendor φεγγοβόλος αὐγῆς. Hinc a pictoribus *Corniger Moſes* pingitur, a ſculptoribus ſculpitur. Dicitur ejus *Cornuta* eſſe Facies, i. e. *Radiabat Cutis Faciei ejus, tamquam Cornua ejacularentur.* LXX. Δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ.

Et in S.S,

Et apud Autores Ethnicos.

APUD Ethnicos plurima de Hominibus, de Diis *cornigeris* occurrunt: Φιλάδελφον, e *Ptolemæis* alterum, *Cornigerum* habent

bent Nummi: ſic, ut etiam *Alexandrum M.* tamquam a *Jove Ammone* procreatum.

UT a *Judæis* Theologiam acceperunt Ethnici, (primum ſcil. *Ægyptii*; deinde per eos *Græci*, poſtremoque omnium *Latini*) *Baccho* ſuo, quem *Moſis* æmulum voluere, *Cornua* largiti ſunt; ſeniori ſcil. longa & acuta, ut in Carcheſio Monachorum apud *Gallias* [1] Benedictinorum, videre licet: At in *Baccho* utroque noſtro inter *Penates*, utpote Juniore, ſunt qualia *ſubulonum*, ad Juglandium inſtar.

IN Reipub. Literariæ [2] novellis Diſſertatio refertur, de *Bacchi* quadam Imaguncula, prope *Atrebatium* effoſſa, huic noſtræ non multum abſimili.

NOSTRA hæc qua Juvenis, qua Formoſa, maxime vero omnium qua Cornuta Autores, de *Baccho* verba facientes, non parum illuſtrat: Horum in numero ſunt *Horatius*, *Ovidius*, *Propertius*, *Diodorus Siculus*, *Seneca*, *Herodianus*, e quibus aliqua excerpam.

[1] *Ho-*

---

[1] *Vide Acta Eruditorum Maii* 1707: *vel Nouvelles de la Republique des Lettres. Aout.* 1707. [2] *Nouvelles*, &c. *Decembre*, 1706.

1 *Horatius* de *Baccho*,

Te vidit insons Cerberus, *aurea*
Cornu *Decorum*.

Ovidius in Hymno ad *Bacchum*.

—*Tibi inconsumpta Juventus*,
Tu Puer æternus : Tu formosissimus alto
Conspiceris Cœlo ; Tibi, cum sine Cornibus
(*adstas*,
Virgineum Caput est.

Idem in Epistola *Sapphus* ad *Phaonem*.

Est in Te facies, sunt apti lusibus anni :
O Facies oculis insidiosa meis !
Sume fidem & phæretram, fies manifestus
(Apollo :
Accedant Capiti Cornua, Bacchus *eris*.

Propertius.

3 *Quod superest vitæ, per Te & Tua* Cor-
(nua *vivam*,
Virtutisque tuæ, Bacche, *poeta ferar*.

Poeta

---

1 *Lib*. II. *Ode* XIX. *v*. 29. 2 *Metam*. *Lib*. IV. *v*. 16. 3 *Lib*. III. *Eleg*. XV.

Poeta Phallicus,

Trahitque Bacchus *Virginis tener formam.*

Et in alio Carmine,

Formosus quoque pingitur Lyæus.

HUNC describit [1] *Diodorus Siculus* τῷ κάλλει καὶ τῇ ῥώμῃ διάφορον, i. e. *Forma Roboreque excellentem*, traditque παρέσημον δ' αὐτῷ ποιῆσαι κέρατα τὸς καταστολίζοντας τὰς γεφὰς ἢ τὸς ἀνδριάντας.

A *Seneca* [*Juvenis perpetuus*] & *Virgineum* habere *Caput* dicitur: Postremo [2] *Herodianus* scribit de *Bacchi* καλαῖς εἰκόσιν, quibus Milites *Bassianum* assimilabant.

Unde signa fiant Infamiæ.

EX altera parte restat inquirendum, qui fieri posset, ut hæc Honoris Insignia, viz. *Cornua*, degenerare possent in notas Infamiæ; quod utique Pictoribus, & id genus indoctis & audaculis hominibus, deberi videatur; qui Satyris, aliisque istiusmodi monstris, quando *Cornua* tribuere solerent, illa demum male audire, & Hominibus affixa eos infamare fecerunt.

HÆC

---

1 *Lib.* III. *sub finem.* 2 *Lib.* V. *Sect.* V.

HÆC de *Baccho*, ejusque Forma, & Cornibus.

HIC est ille Cœtus Deorum, in quo, si Latrare, sive Hinnire, sive Boare animus sit, sive Artem Amatoriam, sive Fabrilem, sive magnas condendi Urbes, sive earum Conditores lactandi, quis velit exercere, hic præsto Deus est, qui doceat: Deus, inquam, non tam Auctoribus antiquis explicandus, quam qui eos explicet; utpote minus temporis injuria læsus, iisque omnibus sincerior, incorruptior. Atque eo nomine non parum utiles has Icones esse judico, in corrigendis Sculptorum, Pictorum, aliorumque ævi hujus erratis; quæ ab antiquorum moribus, & usu, (ut indubitatæ fidei testes hi ostendunt) longe descivere, & sunt remota.

§. XV.

Bustum. FIGURA undevicesima *Romanæ* cujusdam Matronæ *Bustum* exhibet: forsitan Μνημόσυνον, in Amicæ vel Consanguineæ gratiam confectum, vel Lararii generale quoddam ornamentum.

§.

§. XVI.

CUM his Icunculis inventus eſt *Alexandri Severi* Nummus, cujus hæc Inſcriptio: Penatibus favet *Alexander Severus.*

IMP. M. SEV. ALEXAND. AVG.

Et altero latere,

PAX. AVG.

Nummus indicat, illius *Alexandri* tempore, Terræ mandari has Imagines.

IN Nummo PAX. AVG. poſt Triumfum *Perſicum* eum fuiſſe cuſum docet: & quidem veriſimile eſt eum, una cum *Penatibus*, Anno circiter CCXXXIV, cum ad Bellum *Germanicum* evocarentur e *Britannia* milites, humo mandari: certum eſt Imperatorem illum anno ſequenti, bello minime confecto, fuiſſe occiſum.

A 1 *Lampridio* docemur, illum Imperatorem non parum hujuſmodi Iconum veneratione capi & oblectari. [*In Larario*, inquit, *(in quo & Divos principes,*

1 *In vita* Alexandri Severi.

sed optimo quoque electo, & animas Sanctiores, in queis & Apollonium, & *quantum Scriptor suorum temporum dicit,* Christum, Abraham, & Orpheum, & *hujusmodi Deos habebat, ac majorum effigies) rem divinam faciebat.*] Notat hic *Casaubonus,* CHRISTI notitiam *Alexandrum* habuisse per Matrem *Mammæam,* quam *Christianæ* Religionis Mysteriis initiatam, & ab *Origine* constat informatam. Quin & [Christo *Templum facere voluisse, eumque inter Deos recipere,*] narrat *Lampridius.* [*Rem divinam faciebat,* [1] inquit idem *Casaubonus, aut Sacrificando, (quod proprie rem divinam facere dicitur;) vel adorando solum & incensum ponendo; qui fuit mos multorum: ut illius* Marcellinæ Carpocratis *Sociæ, quæ in Larario suo Imagines* Jesu, Pauli, & Homeri, & Pythagoræ *ita colebat simul; ut scribit* B. Augustinus.] Hæc *Casaubonus.*

NEQUE aliis Imperatoribus hujusmodi cultus Icuncularum alienus fuit: *Augustus* suum habuit *Thurinum,* & secundum illum *Hadrianus* eundem, dono sibi datum a *Suetonio,* qui illum aliquamdiu

1 *In supra citatum* Lampridii *locum.*

diu possedit. Habuit *Apollinis* Imagunculam *Sylla*, Deæ cælestis *Asclepiades*: ut [1] alibi docuimus. Quin & *Deum Crepitum* fuisse, cujus apud *Arnobium*, *Minutium Felicem*, & *Tertullianum* mentio, manifestum est; cujus statua refertur ænea, [2] altitudinis trium vel quatuor Pollicum, antiqua valde, in *Gallia* paucis ante annis effossa.

§. XVII.

ERANT hi *Penates*, cum primum humo conderentur, non ex omni parte integri; quod Figuræ ostendunt: sed eorum plerique alio atque alio membro privati: unde verisimile videtur, eos primum vel ab *Alexandro* ipso, vel a quodam magnatum servatos, tandem mancos, usu mutilatos, & ea de causa repudiatos & abjectos, ad quemdam inferioris sortis hominem secundo loco devenire, & ab eo, tamquam in itinere & bello Custodes & Defensores, huc asportari. Plura de *Penatibus*.

UNUM est, quod silentio præterire nequeam, nimirum numeris 7 & 14 signatos

1 *In, de Icuncula Ælfredi.* 2 *Vide Acta Eruditorum Mensis Feb.* A. MDCXCI.

gnatos nulli ſive *Romano*, ſive *Græco*, ſive *Ægyptio* Numini, quantum memini, conſimiles eſſe; unde ſuſpicioni locus, utrum ab iis ſive *Orpheus*, ſive *Apollonius* (vile profecto Numen, ipſoque *Crepitu* Deo graveolentius) ſive *Abraham*, ſive *Moyſes*, ſive *Chriſtus*, ſupra e *Lampridio* laudatus, ſignificetur: quod utique in medio relinquam, ab eruditioribus & harum rerum magis ſcientibus enodandum.

INTEREA relatu dignum eſt, *Penates* omni fere ævo ſummis honoribus abundare: *Varro* (quod [1] *Macrobius* ait) *Dardanum* refert Deos Penates ex *Samothrace* in *Phrygiam*, & *Æneam* ex *Phrygia* in *Italiam* detuliſſe.

[2] *Ilium in Italiam portans, victoſque (Penates.*

Præclara & omni ævo celebrata eſt *Æneæ* pietas, Penates e *Trojæ* flammis exportantis.

[1] *Phry-*

---

[1] *Lib.* III. *Cap.* IV.
[2] Æneid. *Lib.* I.

Tab: VII pag 136

11.

Long: Unc: iv.
Pond: ℥v, ℥y.

Lupa
cum
Romulo
et
Remo.

12.

Long: Unc: 1 3/4.
Pondo ℥i ℥ß.

13.

Long: Unc: iiii.
Pondo ℥v. ℥ij.

14.

Long: Unc: ii.
Pondo ℥ij.

15.

Apis.
Long: Uncias iv.
Pond: ℥vi.

—— 1 *Phrygiique Penates*
Quos mecum e Troja, mediisque ex ignibus
Extuleram. *(Urbis.*

§. XVIII.

HOC denique addendum, Penatium neque certum esse numerum, neque formam, neque certa esse nomina; frustra que esse, quotquot aliter statuant: sed erant omnes Dii, qui (ut 2 *Servius* ait) domi colebantur, iique pro Cultoris arbitrio diversi. Penates autem (ut inquit 3 *Isidorus)* dicti sunt, quod essent in Penetralibus, *i. e.* in Secretis, sive Larario, seu domestico, seu castrensi. *Eorum Potestates.*

IN conspectu Deorum *Penatium* (ut ex 4 *Horatio*, & 5 *Cicerone* constat) hospitem necare, scelus habitum fuit atrox, & immane.

6 PENU curabant Penates; *i. e.* quicquid Esculenti, Poculenti, Turis, Aromatum, Carbonum, Salis, Lignorum, aliorumque, quæ hujusce generis longæ usionis gratia contrahuntur & reconduntur.

---

1 *Lib.* III. 2 *In Æneid.* II. *Sect.* 47.
3 *Lib.* VIII. *Cap. ult.* 4 *Ode* XIII. *Lib.* II.
5 *Pro* Deiotaro. 6 *V.* A. Gellii, *Lib.* IV. *Cap.* I.

tur. Omne hoc *Penora* dicit [1] *Columella*. Imo Patrem Familias, ejusque Hospites curare credebantur. Certe illos consulit, de negotiis tractandis Pater familias. Ideoque [2] *Demipho Terentianus*.

[*At ego*, ait, *Deos Penates hinc salu-*
(tatum domum
Devertar; inde ibo ad forum, atque ali-
(quot mihi
Amicos advocabo, ad hanc rem qui ad-
(sient,
Ut ne imparatus sim, si adveniat Phor-
(mio.]

Penates iratos hostia placabat: de iis hostia molliendis [3] *Horatius*,

Mollibit aversos Penates
Farre pio & saliente mica.

OB infortunia Familiæ, quæ *Penatibus* iratis sæpe ascribebantur, eos mærebant, ut ex [4] *Horatio*, Ancillam (quam ipse prius

---

1 *Lib.* XII. *Cap.* 2. 2 Phormio, *Act.* II. *Scena* I. 3 *Carminum*, *Lib.* III. *Ode* XXIII. 4 *Lib.* II. *Ode* IV.

us exoſculatus eſt) amico *Xanthiæ* nequiter & ironice commendante, patet,

Regium certe genus, & Penates
Mœret iniquos.

CONSULES [1] Prætoreſque, cum adeunt magiſtratus, rem divinam faciunt *Penatibus*. Erant *Romanis* Θεοὶ πατρῴοι, ſecundum *Hyginum* in [2] *Macrobio*, cui conſonum id *Virgilii*:

Dii Patrii, ſervate domum : ——
Et alibi ——*Patriique Penates.*

§. XIX.

CAVENDUM autem, ne omnes hæ *Icunculæ* pro Deis accipi, & adorari judicentur : plurimas eo in numero fuiſſe exploratiſſimum eſt. Quis autem *Bucephalum*, atque adeo *Remum*, aut *Virginem Veſtalem*, eo in honore habuit? Locabantur horum Icunculæ in Larario, tamquam Μνημόσυνα, ſeu Κειμήλια ; quod ex *Lampridio* diſcimus. *Conclusio.*

HÆC

---

1 Macrobius, *Lib.* III. *Cap.* IV.

HÆC ſunt, *Vir Clariſſime*, quæ habui dicere, de *Penatibus* veſtris κατ' ἐπιτομὴν. O! qui Homines cujuſcumque ſortis perhumaniter excipis, Deos etiam hoſce minutos, alienigenos, & in *Belgio* noſtro male habitos, in fidem, per omnes Ego te Deos oro quæſoque, recipias, & hoſpitio tueare.

VALEAS, Legum & Libertatum vindex, & favere pergas

Tui Nominis ſtudioſiſſimo,

GUIL. MUSGRAVE.

CAP.

CAP. XIII.

De Belgarum Mercatura.

§. I.

MERCATURAM exercuiſſe *Belgæ*, tam *Romanis* ſubjectos, quam ante illam ſubjectionem, eamque non tenuem modo, ſed & magnam & copioſam, licet diſpari proportione, non eſt dubitandum: *Diſpari*, inquam, *proportione*; nam primi *Belgæ*, ſive prædæ ſive mercatus ergo huc venientes, non niſi lucri gratia Bellum intulere. [*Neque temere*, ait [1] *Cæſar*, *præter Mercatores*, *adit ad* Britannos *e* Gallia *quiſquam*.] Verum a *Claudii* deſcenſu, & in *Belgio* noſtro victoriis, ejus Populus, victori morem

Belgæ *primum Mercaturæ, deinde Bello magis dediti.*

1 *Lib.* IV.

rem gerens, Bello magis, Mercaturæ minus ſtuduere.

§. II.

Eorum Mercaturæ

QUIBUS autem in rebus Mercatura fieret, aliunde melius vix intellegi poteſt, quam ex iis, quibus eo tempore *Britannia* maxime abundavit. Eæ vero, ſecundum [1] *Cæſarem*, erant Pecoris magnus numerus, Plumbum album, Ferrum: His [2] *Strabo* addit Frumentum, Pelles, Mancipia, Canes, Eburnea Fræna, Torques, Vaſa Electrina, Vitreaque: [3] *Mela* Gemmas, Margaritas, Nemora: [4] *Tacitus* Aurum, Argentum, & alia Metalla; [5] *Martialis* Baſcaudam: [6] *Solinus* autem Gagatem, Metallorum largam variamque copiam; *Ambroſius* ſalem: Sunt ea partim ἐξαγώγιμα, partim εἰσαγώγιμα: de eorum nonnullis, quando ad illuſtrandam rem *Britannicam* non parum contulerit, paucis ediſſeram: uti poſtremo de Portubus externis, unde Merces advehebantur; de Emporiis *Britannicis*, & ſpeciatim *Belgico*; de Vectigalibus, & Nummo.

quæ ἐξαγώγιμα, & εἰσαγώγιμα

§.

1 *Lib.* V, 2 *Lib.* IV. 3 *Lib.* III, VIII. 4 *In vita* Agricolæ. 5 *In Apophoretis.* 6 *Cap.* XXII.

§. III.

PECORIS nostri præstantia satis omni ævo celebris; ab eo Lac, ab eo Pelles, hominum tegumenta, aliaque vitæ commoda cepere Aborigines: Ex ovium nostrarum Lana *Romani* Vestes, ex Lacte vaccino Caseum fecere. Boves, ad arandum animal quasi natura factum, Frumenti magnam vim auxilio suo tulere; eamque vel Incolarum, vel Exterorum in usum. Oves aluit aprica illa terræ regio, quæ a *Dobunis* ad Oceanum *Britannicum* extenditur, Boves seminii boni *Belgii* pars occidentalis. *De pecore Britannico.*

PLUMBUM illud *album*, quod a *Cæsare* dictum est, omni procul dubio *Stannum* fuit; quod in *Britannia* natum, & artificiose coctum, a *Phœnicibus* olim, & deinceps a *Romanis* hinc exportaretur. [*In* Celticis, (ait [1] *Mela*) *aliquot* (Insulæ) *sunt*, *quas*, *quia Plumbo abundant uno omnes nomine* Cassiteridas *appellant*.] Minime vero necessarium est, ut apud *Coritanos*, in Comitatu *Darbyshire*, Plum- *De Stanno.*

1 *Lib.* III. *Cap.* VIII. *Edit.* Exon.

bum hoc effodi censeamus; quod utique *Camdenus*, quoniam *Cæsar* [*in mediterraneis regionibus*] illud effodi tradit, opinatur. Potuit Stannum a *Dunmonio* terrestri itinere portari, & ab illo itinere mediterranei ortus esse judicari: cui quidem opinioni maxime favet id, quod sequitur, nempe Stannum mille ante annis, & quod excedit, apud *Dunmonios* effodi; quod de *Coritanis* nullo pacto affirmari potest.

§. IV.

De Ferro. DE *Ferro*, vitæ optimo pessimoque instrumento, manifestum est, illud antiquorum memoria *Silurum* in regione nasci, & fornacibus eliquari; quod testantur Cineres semiusti in ea hodie magna copia visendi, & Altare [1] *Calpurnii*, *Jovi Dolicheno* rei Ferrariæ custodi constructum, nostra ætate erutum. Quæ cum Clariss. *Camdeno* essent incognita, mirandum non est illum [2] pronuntiasse [*Ferri fodinas nullibi in tota* Anglia *inveniri præter-*

---

1 *Vide Additamenta ad* Camdeni Silures, *& Additamenta ad* Dobunos, *Literam* [C.]

2 *Vide Notas ad* J. Cæsaris *verba* [In Maritimis *Ferrum.*] *Pag.* 168. Amstelrodi 1670.

terquam in Glocesterſhire, *illaſque ante annos aliquot demum reperiri.*] Nimirum ſcripſit vir Doctiſſ. & Antiquitatum patriarum diligens indagator, pro teſtimoniorum ſui ſæculi fide. Notandum inſuper eſt Ferro jam dicto nullum in univerſo Orbe ad communes hominum uſus inveniri magis idoneum, vel eo nomine deſiderabilius eſſe, & ad exportandum aptius.

§. V.

De Mancipiis, & Populi multitudine.

STRABO Mancipia non ſine multa probabilitate cenſet: Plurima ſunt, quæ *Britanniam* tam ante *Romanorum* adventum, quam poſtea, populo indigena abundare monſtrant. Magni hac in re probanda momenti ſunt & diverſæ in *Britannia* nationes, & earum inter ſe Bella numero frequentia, de quibus paſſim apud [1] *Cæſarem*, *Tacitum*, *Dionem*, alioſque: Neque parum arguit ingens ille exercitus, quem adverſus *Romanos* Heroina *Britannica* (*Boadiciam* volo) eduxit; nimirum milites 230000, [2] *Dione* referente. EX

1 Cæſar *in* Britannia *tradit* [*Hominum infinitam eſſe multitudinem.*] *Libro* Vto. *De Bello Gallico.* Mela, [Britannia *fert Populos.*] *Lib.* III. *Cap.* VIII.

2 *Vide* Dionem Xiphilini, *in* Nerone.

EX ista Populi multitudine licet opinari, alios in Prælio captos, alios furtim abreptos, alios forsan ob delicta venum datos (quod profecto quidem hodie *Guineensibus* in more est) aliisque de causis alios fieri mancipia, sicque *Strabonis* dicto fidem afferre.

§. VI.

De Canibus.

CANES *Britannici* jam a Gentis initio claruere: De illis *Gratius* [1];

Quod Freta si Morinum *dubio refluen-*
(tia Ponto
Veneris, atque ipsos libeat penetrare
(Britannos,
O! quanta est merces, & quantum im-
(pendia supra.

Itaque *Nemesianus*,
—*Divisa* Britannia *mittit*
Veloces, nostrique orbis venatibus aptos.

De Cane *Agassæo*, qui a *Jano Ulitio*, (cui consentire videtur vir literatissimus *Christ. Wase*)

1 *In Cynegeticis*,

Wase) cenſetur eſſe noſtrorum hominum *Little Beagle.* Sic [1] *Oppianus*

Ἔστι δ᾽ τι σκυλάκων γένος ἄλκιμον ἰχνευτῆρων
Βαιὸν, ἀτὰρ μεγάλης ἀντάξιον ἔμμορε δοιδῆς.
Τὸς τρέφεν ἀγεῖα φῦλα Βρετάνων ἀιολοπώτων,
Αὐτὰρ ἐπικλήδην σφὰς ἀγασσαίους ὀνόμωιαν.
Τῶν ἤτοι μέγεθος μὲν ὁμάιιον ὑπδανοῖσι
Λίχνοις οἰκιδίοισι τραπεζήεσσι κύνεσσι.

Bodinus hoſce verſus ita Latine reddidit.

Eſt etiam catuli ſpecies indagine clara,
Corpus huic breve, magnifico ſed corpore (digna;
Picta Britannorum *Gens illos effera bello*
Nutrit, Agaſæos*que vocat. Viliſſima (forma*
Corporis, at credas paraſitos eſſe latrantes.

Denique *Claudianus*

Magnaque taurorum fracturi colla Bri- (tanni.

Horum ſpecies eſt ſtaturæ non admodum magnæ, ſed Capite rotundo, & Faucibus nigris donata. Articulos habet compactos, *Præcipue Belgicis.*

---

[1] *In Cynegeticis.*

ctos, & membra brevia, quibus ſerpit humi, & animo ingenti pertinacique Tauros exagitat: Hæc cum *Belgis* ſit indigena, Popularibus meis uſus eſt in Tauriludiis eximii. Non ſolum in Venationibus, ſed & in Bellis adhibiti ſunt (1 *Strabone* teſte) Canes *Britannici* audaces, ſtrenui, feroces, ad hoſtium, ut opinor, ordines turbandos. *Colophonii* Cohortes canum habuere, & eorum gratia Canem in Nummo inſculpi fecere: de quo, in de *Geta Britannico* 2 Diſſertatione. Qui vero plura velit de Canibus *Britannicis*, eruditiſſimi *Caii* Libellum hac de re pervolvat, eleganter utique & eruucleate ſcriptum.

Canum in Bello uſus.

§. VII.

De Gemmis.

DE Gemmis *Melæ Britannicis* quid dicam, incertus ſum, niſi eas e Rupe *Briſtolienſi*, quæ nunc *Vincentii* dicitur, captas ſtatuam. Profert Adamantes ea perſpicuos, pulchros, ab Indiis advectorum æmulos, iiſque una duritie ſecundos: Utrum

---

1 Κύνες ἀφυεῖς πρὸς τὰς κυνηγεσίας. Κελτοὶ δὲ καὶ πρὸς τὰς πολέμας χρῶνται καὶ τούτοις, καὶ τοῖς ἐπιχωρίοις. *Lib.* IV. 2 *Vol.* III. *Pag.* 100.

Utrum *Melæ* ætate reperti fuerint, non exploratissimum est; quare in his dicundis non parum hæsito. Judicent eruditi, prout cujusque libido est.

MARGARITARUM vim magnam fuisse, constat ex iis, quas hodie præbent Ostrea *Britannica*. Nescio an *Rutupina*, quæ *Romanis* erant delicio, præ cæteris scaterent Margaritis. *Julius Cæsar* [Britanniam *petiisse dicitur spe Margaritarum, quarum amplitudinem conferens, interdum sua manu pondus exigeret.*] *Sed* [1] [*in* Britannia *parvos & decolores nasci certum est.*] Et [2] *Ælianus* ait, *Margaritam* Britannicam *magis fulvi coloris esse, minusque splendidam.* [*Divus* Julius *Thoracem, quem* Veneri *Genetrici in Templo ejus dicavit, ex* Britannicis Margaritis *factum voluerit intellegi*:] subjecta, inquit [3] *Solinus*, Inscriptione, quæ id testaretur.

HÆC omnia more suo exagitat *Is. Vossius*, & Gemmas, & boni coloris Margaritas veteri negat *Britanniæ*. [*Quænam*, [4] inquit, *sunt illæ Gemmæ? Flumina ista* Isaaci Vossii *redargutio.*

Y *Gem-*

1 *Vide* Plinii, *Lib.* IX. *Cap.* XXXV. 2 Δοκεῖ δ' πως χρυσωπόπερ ὁρᾶν, εἶναι τὰς τε ἀυγὰς ἀμβλυτέρας ἔχων, καὶ σκοτωδεστέρας. *De Animalibus, Lib.* XV. *Cap.* VIII. *Ed.* Tigurina, *Fol.* 3 *Vide* Solinum, *Cap* LIII; *& in illud, Doctiss.* Salmasii Plinianas *exercitationes.* 4 *Vide ejus Observationes ad* Melæ, *Lib.* III. *Cap.* VI. *Vers.* 36.

Gemmifera, & Margaritifera mera profecto sunt commenta, ad apparandum stulti Imperatoris triumphum.] At pace tanti viri, non adeo viles sunt Adamantes supra dicti, quin *Julii* sæculo facile placerent. Hæ videntur esse Gemmæ prædictæ, & *Sabrina* nostra Flumen illud Gemmiferum, de quo dubitat vir egregie doctus. Margaritas cum *Taprobaniticis* nostras nequaquam audeo comparare, præcipue si magnitudinis habeatur ratio: at ex Foro nostro *Exoniensi* Piscatorio, & Margaritis hic repertis si liceat judicare, facile potuit earum in hac Insula comparari, satis magnarum neque decolorum numerus, qui ad exornandum *Veneris* Thoracem omnino sufficeret.

§. VIII.

De Calce. CALX etiam inter ἐξαγώγιμα merito putanda est; sed quæ Cretam & Margam comprehendit: his enim tribus Agricolæ fæcundant agros. Testantur optimæ fidei Inscriptiones, Artem Calcariam olim a *Britannis* exerceri, & ut Terra Figularis hodie ad Tubos Tabacarios e *Dunmonio*, sic Cretam, Margam, & ejusmodi alia ad stercorandos Agros hinc exportari.

portari. *Calcariæ*, *Brigantum* oppidulo, (i. e. *Tadcaſter*) fuiſſe unam Inſcriptionem opinatur Doctiſſ. [1] *Galæus*, ſed ob literas fugientes & propemodum exeſas, vix legendam. At quod ad rem noſtram maximopere facit, in Colle, cui *Sorbiodunum (Old Sarum)* inſidebat, Fodinæ Cretaceæ præcipue frequentabantur, & ab iis Creta in exteras regiones exportabatur. Unde Verſificator *Anglus*

Eſt ibi defectus Lymfæ, ſed copia Cretæ.

Arti Calcariæ præfuit Dea *Nehalennia*, quæ a *Brigantibus*, (opinante Clariſſ. [2] *Galæo*) forſan etiam a *Belgis* noſtris colebatur. Ei Negotiatores & Mercatores navicularii vota ſolvebant, ut ex Ara, quæ [3] *Domburgii* in *Zelandia* dudum effoſſa eſt, conjicimus. Eſt autem hujuſmodi.

DEAE NEHALENNIAE
OB MERCES RITE CONSER
VATAS M. SECUND SILVANVS
NEGOTTOR ⌚ RETARIVS
BRITANNICIANVS
V. S. L. M. No-

1 *Ad* Antonini *Iter*. II. *Pag*. 42. 2 *Pag*. 43.
3 Reineſii *Syntagma*. *p*. 190.

Novam Lunam *Nehalennia* ſignificari volunt nonnulli, quæ certe navigantibus benigna fuit & propitia, ſic, ut ea de cauſa cultu digna videretur.

§. IX.

De Gagate.

De *Gagate Solini Britannico* aliquid dicendum: Accipit ille nomen a *Gage* (tradente [1] *Dioſcoride*) *Lyciæ* amne, ad cujus Oſtium iſte Lapis primum inventus eſt. Aliquando dicitur Lapis *Obſidianus*; ſed *Anglice* [*a Jeatſtone.*] Succinum nigrum eſſe contendit *Aldrovandus*, cui ſuffragatur Doctiſſ: [2] *Anſelmus B. de Boot.* Paleas enim attritu calefactus, Succini inſtar, trahit, & odorem habet Sulfureum. De eo [3] *Solinus* [Gagates *hic* (in *Britannia*) *plurimus optimuſque eſt Lapis; ſi decorem requiras, nigro gemmeus; ſi naturam, aqua ardet; oleo reſtinguitur;*] Eſt in Muſeo [4] *Regiæ Societatis* hujuſmodi Lapis inſignis, & in *Cleaveland*, *on the*

---

1 *Lib. V. Cap. CXLVI.* 2 *De Lapidibus & Gemmis in Specie. Lib. II. Cap. CLXIII. & ſeqq.* 3 *V.* Solinum, *Cap. XXII. & in illud Doct.* Salmaſii Plinianas *Exercitationes.* 4 *V. Muſeum* Reg. Societ. *edente* Neh. Grew, *Partem III. Cap. II.*

the Top of Huntley and Whitby Clifts, 8 puteis effodi solet in Agro 1 *Surreieny* qui cum *Regnorum* olim patria fuit *Belgio* proxime vicina, fortasse an a *Belgis* hinc exportaretur.

MULTIPLEX est *Gagatis* usus. In Medicina calidæ facultatis esse dicitur, & Mania, Morbo comitiali, sicut etiam Hysterico correptos Suffitu liberare. Diureticus est, & Hydropicis, urinam movendo, prodest. Oleum ejus destillatum maxime prædicatur ad Dæmoniacos, (id est, Epilepticos) Paralysin, Convulsionem, Tetanum, ad Podagram frigidam, omnesque frigidas Fluxiones, parti affectæ illitum: Unde Podagricis remediis & Acopis adnumeratur. Pulvis ejus ad unius Drachmæ pondo, ex Vino haustus ad tempus aliquod, Colicam integre sanare dicitur. Emollit, discutit, 2 *Dioscoride* teste; unde adversus sedis affectiones, quam leviissime tritus, 3 *Ætii* judicio valet; & ad Condylomata, eum *Scribonii Largi* Emplastrum habet. *Ejusque viribus.*

ORNABANTUR eo Galeæ, Scuta, Gladii: Mundum etiam muliebrem ingre-

1 *Vide Additamenta ad* Camdeni *Comitatum* Surry.
2 *Loco jam citato.* 3 *Lib. 2. tetrabibli, Cap. 24.*

grediebatur; Fœminarum Aures, Colla, Pectoraque, colore contrario, commendabant. Hinc Aurium lobis etiam nunc appenditur ex eo Inauris; Collo Monile: in quibus Puellæ non parum gloriantur. Denique ad preces numerandas, in globulos formatus, & filo trajectus, nonnullis est in usu.

§. X.

De Bascauda.

DE *Bascauda Britannica Martialis* in *Apophoretis*,

Barbara de Pictis veni Bascauda Britan-
(nis,
Sed me jam mavult dicere Roma *suam.*

Optimæ notæ Glossographus, *Carolus du Fresne* veterem *Gallicam* esse vocem hanc contendit, cum *Britannis* communicatam. Doctissimi vero *Skinnerus* & *Lhuydius*, (quorum in sententiam eo lubentissime) eam esse tradunt origine *Cambro-Britannicam*, cum *Latina* terminatione; quod a Poeta confirmatum: Dicit enim a *Pictis* eam venire *Britannis*.

BASCAUDA, Wallice, *Basgawd* & *Basced*; *Anglice*, *a Basket*; Latine Corbis

bis & Calathus eſt; ſed apud *Martialem*, interprete *Radero*, Vas eſcarium; quod utique veriſimile, quando in celebrandis hujuſmodi vaſis eo loci totus eſt Poeta. Concinit ejus σύγκρισις [1] *Juvenalis*,

Adde & Baſcaudas, & *mille Eſcaria.*

Cum vox hæc hiſce Poetis primum apud *Romanos* in uſu fuerit, idque tempore *Domitiani*, mihi in mentem venit aliquem ex *Agricolæ* ſatellitio, Vas hoc e *Belgio* noſtro forte *Romam* miſiſſe; ubi Matronis tam gratum fuit, ut e ſuis eſſe mox voluerit, & civitate donarit Urbium mater. Dixi *e Belgio*; nam ut Doctiſſ. *Camdenus* ab *Icenia*, quæ Salice abundat, deducit hoc vimineum opus, ſic e *Belgio* pari ratione mihi licet deducere: quando illud eamdem, innumero ſimiliter hærede profuturam, ut ait *Plinius*, omni ævo copioſam habuit; præcipue pars ejus illa quæ Comitatus hodie *Somerſet* appellatur.

§.

---

1 *Satyra* XII.

§. XI.

De Sale. HIS Salem addimus; quem in *Belgii* litore olim, sic, ut hodie, Aquam marinam evaporando & ad duritiem coquendo fieri credibile est, ut & navibus mercatoriis exportari. De hoc Sale [1] S. *Ambrosius* apertissime. Certe *Kinwulfum* Regem Ecclesiæ *Shireburnensi* terræ aliquot jugera, ubi *Limus* se in oceanum fundit, dedisse constat, ut in usum Ecclesiæ Sal ibi coqueretur: Hoc autem A. D. factum 774.

HÆC fuere præcipua *Belgii* nostri ἐξαγώγιμα: quibus addi fortasse possunt Plumbum (ut in §. III. ostensum est) Materia, sive Lignum cujusque fere generis, Equi, Oves, & ex earum Lana Vestes, apud *Ventam Belgarum* factæ a *Romanis*, Pelles, Pisces, aliaque permulta, quæ in exteras Nationes hinc interdum exportari non est improbabile.

§.

---

1 *Hexameron, Lib.* V. *Cap.* XI.

§. XII.

IMPORTABATUR autem [1] Æs, Aurum, Argentum, [2] Ελεφάντινα φάλια, i. e. *eburnea Frena*, περιαυχένια *Torques*, καὶ λιγγύρια καὶ ὑαλᾶ σκεύη, *& electrina & vitrea vasa*. *Aurum* & *Argentum* a *Strabone Tacitoque* tribui *Britanniæ*, & inter bona ejus ἐπιχώρια sive Indigena censeri, non ignoro; sed præterquam quod nec Auri nec Argenti hodie apud nos, quod sciam, ullæ usquam Fodinæ exstent notabiles; *Strabonis* etiam ævo idem fuit: Sic enim *M. Cicero*, qui a *Quinto* Fratre sub id tempus cum *Julio Cæsare* apud *Gallias* agente proculdubio accepit; [3] [*In* Britannia *nihil esse audio neque Auri neque Argenti.*]

Εισαγώγιμα.

§. XIII.

QUATUOR erant usitati e continente in Insulam, ut Auctorum accuratissimus [4] *Strabo* scripsit, trajectus; nimirum ab ostiis

E Continente quatuor in Britanniam *Trajectus.*

Z

1 Cæsar *de Bello Gallico*, *Lib.* V. 2 Strabo, *Lib.* IV. 3 *Vide* M. Tullii *Epistolas ad Familiares*. *Tom.* I. *Lib.* VII. *Ep.* VII. 4 *Loco jam citato.*

oſtiis *Rheni* (ſive portu *Itio)* a *Sequanæ*, *Ligeris*, & *Garumnæ* oſtiis. Totius *Britanniæ* celeberrimum Emporium, natura id jubente, curanteque, fuit *Londinium*; *Belgii Triſanton*, ut alibi oſtendetur. Non *Belgarum* modo, ſed & *Britannorum* rem mercatoriam maxime promovebat id, quod Vectigalia perquam modica perſolverent: ut ex *Strabone* manifeſtum eſt.

§. XIV.

Prima mercium permutatione, Mercatura.

INTER 1 omnes conſtat, Mercaturam initio fieri permutatione mercium; ante ſcil. quam inventum eſſet commune aliquod, quo earum menſurari poſſet æſtimatio: (ſic, ut etiam hodie in Barbaris pleriſque Nationibus, quibuſcum Mercatores *Europæi* negotiantur:) Hoc autem aliis aliud fuit, 2 nimirum e Lapidibus, e Teſtis, e Cortice Arborum, e Sale, ex parentum Oſſibus, e Leporinis, e Corio, Ligno, Terra Sigillari, aliiſque. *Britanni* 3 *Cæſaris* teſtimonio [*aut æreo, aut*

1 *De origine Emtionis & Venditionis, vide* Paullum *egregie diſſerentem*, D. *Lib.* XVIII. *Tit.* 1.

2 *Vide Lucubrationem, de vet. Numiſmatis potentia & qualitate: in Quarto, Cap.* 5. Paris.

3 *De Bello* Gallico, *Lib.* V.

aut taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo utebantur.] *Romani* etiam veteres ære appenſo, non numerato, debita exſolvebant. Secundum hunc antiquorum morem Parmæ Equeſtris *Woodwardianæ* artifex, trutinam illam, qua *Brenno* Aurum pendebatur, ad ſervandum Capitolium, ſatis apte belleque [1] exhibuit. Sub Imperio *Romanorum* in *Britannia* quicquid haberi potuiſſet æris, argenti, vel auri, *Cæſaris* imagine notabatur [2].

ATQUE hæc de *Belgarum Mercatura*; quibus, uti ſpero, apparet, non tantum Inſulam hanc, ſed & *Belgium* hocce (ne dicam in præſenti *Dunmonium*) jam inde a principio dediſſe operam *Mercaturæ*.

---

1 *Vide Clariſſ.* Dodwelli, *de Parma Equeſtri* Woodwardiana *Diſſertationem.* Oxonii *E Theatro* Sheldoniano. MDCCXIII.

2 Gildas *initio Epiſtolæ.*

CAP. XIV.

De Romanis *in* Belgio Æstivis, *præcipue de* Camaleto.

§. I.

EX *Romanorum* Hibernaculis magnam partem hujusmodi crevere Urbes: Hospitia scil. Diversoria, Tabernæ, Officinæ, Villæ, aliæque Domus, quæ militum usui voluptatique inservierunt, innumeræ demum factæ, & Urbis nomen & dignitatem adeptæ sunt. Alia vero fuere eorum Castra, nimirum *Æstiva*, quibus in aperto plerumque loco positis, nonnumquam in ipsis montium jugis, ad calorem vitandum, milites alsiosis utebantur.

Æstiva *in* Belgio *permulta*.

CAMALETI
Facies Orientalis.



Facies Occidentalis.

Ob Amore, et Constantiam, erga Patriam; ob Icona Camaleti, Belgio in ortu datam Dom: Jepp Clark, de Chipley Armig. BELGA nobilis, Æqui Boniq; Cultor; ad memoriam perpetui nominis, hanc Tabula sibi dedicari meruit.

MDCCXVII.

bantur. Horum hodie permultorum in *Belgio* vestigia supersunt; ut apud *Old Winchester*, *Cornhill*, *Yanesbury*, *Dunsbat*, *Woldsbury*, *Ebdown*, *Martensall-Hill*, *Camalet*, Locos antiquis satis notos, (etiamsi nova sint nomina) quod ex *Camdeno* & *Lelando* patet; maxime vero omnium ex *Aubreio*; qui cum Agri *Wiltonensis* Indigena fuerit, & παλαιόφιλος, *Romana* in eo Castra perlustravit, delineavit, & Museo *Oxonii Ashmoliano* Figuras eorum dedit, ibi hodie visendas. Horum in nonnullis Aggeres eminentiores & integriores, in aliis humiliores & detriti, partim injuria temporum, partim ex diversa eorum structura & usu: Alia namque temporaria fuere, alia longioris usus: illa non nimium munita, hæc autem magis, pro cujusque instituto. Frustra essem, si eorum singula persequi conarer; uno *Camaleto*, qui totius Insulæ in perfectissimis est, contentus ero.

Quorum multa ab Aubreio *descripta.*

§. II.

QUATUOR ab *Ischali* passuum millibus, versus orientem, Collis est, in cujus lateribus quatuor Valla, plus minus perfecta, cum totidem Fossis cernuntur.

Camaleti *Descriptio.*

Horum

Horum infimum, quod imi Collis quasi duos trientes ambit, viginti passus habet, acclives, neque sine difficultate superandos: Fossa, quæ ei superducta est, lata septem passus est. Vallum secundum in ascensu passus habet quadraginta; Fossa ei superjacens lata est duos passus. Tertium in ascensu, passus est duodecim; Fossa ejus septem lata est. Vallum quartum, quod verticem montis cingit, ascendenti passuum est 28, ambitum habet perfectum, passuum 1076; intra quam Fossa duorum passuum est. Hæ vero ascensuum mensuræ non ubique eædem, aut similes sunt; sed cujusque Valli maximæ. Area est in vertice Collis, propemodum ovalis, quatuor circiter & viginti Jugerum. In eam ascensus Arboribus fere tectus.

FIGURA, Tab. X, hæc omnia planius exhibentur, in qua

A. A. denotant Vallum Primum.

B.B. Secundum. C.C. Tertium. D.D. Quartum. E.E. Aream in vertice. F.F.F.F.F. In eo Ascensum, arboribus nunc obtectum.

Fossæ duos, tres, quatuor, ad septem pedes sunt profundæ; in hac Figura non expressæ; sed quas Vallo suo singulas contineri, eique superjacere facile cogitemus:

aliter

aliter quam in Castris esse solet, ubi Fossæ Vallum vulgo postponitur.

α Domus, & ϵϵ Murus sunt recentes substructiones.

DII boni, inquit [1] *Lelandus*, *quantum hic profundissimarum Fossarum? Quot hic egestæ terræ valla? Quæ demum præcipitia? Atque ut paucis finiam, videtur mihi quidem esse & Artis & Naturæ Miraculum.*

At seges est ubi Troja fuit, stabulantur (in Urbe
Et Fossis pecudes altis, valloq; tumenti
Taxus, & astutæ posuere cubilia vulpes.

§. III.

PRÆTER hæc munimina plane *Romana*, Numismata aurea, argentea, ærea, *Romanorum* imagines tantum non vivas exprimentia, quæ ab Incolis solum aratro vertentibus, ætate *Lelandi*, cum aliis rebus antiquis, ut argenteo equi calceo, &c. sunt inventa, *Romana* hæc fuisse Castra plane demonstrant; sic, ut huic argumento diutius insistere non opus sit. In eorum usum Castrorum, & *Romanis* militibus hæc quam utilia fuerint, jam proxime inquirendum. §.

Romana *hæc fuisse* Castra, *minime dubitandum.*

---

1 *Vide ejus Assertionem* Arturii: *Pag.* 29.

§. IV.

Quanta earum Area,

AREA Collis in ejus cacumine ovalis, ſecundum *Higynum* (quem ab *Hermanno Schelio* expoſitum in Caſtris dimetiendis alibi ſumus ſecuti) Legiones ſeptem poteſt comprehendere: ſed ſi Domos, aliaque ædificia, quorum rudera paſſim ante aliquot annorum ſæcula ibi conſpicerentur, excipiamus, longe minorem eo teneri numerum, nempe III vel IV Legiones, omnino concludendum eſt. Huc initio æſtatis, cum jam uliginoſum circa *Iſchalin* ſolum ingraveſceret, ad hæc, inquam, Æſtiva milites contendere ſolebant, ut aperto & magis ventilato aere perfruerentur.

Quis uſus;

Curioſa Figura.

QUI Caſtra hæc e noſtris hominibus deſcripſere, non parum inter ſe differentes, & a nobis & a ſe invicem diverſi ſunt: (ita tamen, ut eorum nemo quidem unus huic de *Camaleti* origine & uſu opinioni contradicat:) Ego ne de hac re incertus eſſem, ut Valla, ut Foſſas, ut Aream curioſe dimenſam, obtinerem egi: atque ex hac Caſtrametatione, quam appoſuimus, inciſa eſt Figura Tab. X.

§.

FACILE erit, ex antiquitate fabulosa de *Camaleto* nostro plura superaddere; ut [1] [*fama publica* Murotrigum, *radices* Camaletici *montis incolentium*, *prædicat*, *attollit*, *cantitat nomen* Arturii, *incolæ quondam Castri*:] Ut hic Epulis viros celebres & claros exceperit, multa cum pompa, opipare, creberrimeque: Utque hæc, vicinorum *Murotrigum* animis in hunc usque diem infixa, sæpe iis etiam nunc in ore sint. Sed nolo verum, falsa ei miscendo, contaminare. *Multæ de* Camaleto *Fabulæ*

---

1 *Vide* Lelandi *Assertionem* Arturii *modo laudatam*: *in Appendicis ad* Jo. Lelandi *Collectanea*, *parte prima*.

CAP. XV.

De Colore Belgico.

§. I.

Propertius *citatur.*

APUD *Propertium*, Poetam eruditissimum, legimus, —*Turpis* Romano Belgicus *ore color:* de quo versiculo doctissimus illius Interpres, *Janus* 1 *Broukhusius*, eum de *Britannis* oportere intellegi contendit; hos enim *infectos* paullo ante pronuntiaverat. Probabilis certe Interpretatio, quæque merito expendi, & plenius exponi mereatur.

§.

Lib. II. *El.* XIV.

Ornatissimo et Inlustri **Baronetto**
THOMÆ WROTH,
ob eximias in **Belgio** *restituendo* Largitiones
Grates ex animo persolvit
Auctor.

§. II.

NOTISSIMUM est *Britannos* veteres, ante *Julii Cæsaris* in hanc Insulam descensum, *omnes se Vitro inficere* : sic enim [1] ille disertis verbis. Quid autem illud *Vitrum* esset, & quæ sit ejus nominis ratio, explicatu dignum est. Herbam, hunc in usum adhibuere *Britanni*, quæ hodie *Woad* appellatur, & viget apud nos egregie: *Græci* ἰσάτιδα dixere, & [2] *Dioscorides* ea βαφεῖς χρῶνται, i. e. lanarum infectores uti, affirmat. Colorem enim cæruleum præbet, & aliorum fere omnium colorum basis est & fundamentum. Color Cæruleus a veteribus *Britannis*, [3] affirmante Nationis ejus *Varrone*, *Ed. Lhuydo* [*Glas*] appellabatur. Hinc opinari par est *Glastum*, quo a *Plinio* [4] Herba significatur, addita voci *Britannicæ* Latina terminatione, (ipso *Cæsare* forsan auctore) traxisse originem. Color enim iste plane *Vitreus*, sive ὑάλινος est, unde *Vitro* fieri non inepte traderetur. De *sitide* Tractatum integrum in lucem misit *Hen. Grolachius*, &

Cæsaris Vitrum *quid significet.*

Glastum *unde derivatur.*

1 *De Bello Gallico*, [illegible] 5. 2 *Lib.* II. *Cap.* CCXV. 3 *Vide* Archæologiam Britannicam, *Tit.* II. 4 *Nat. Hist. Lib.* XXII. *Cap.* I.

& de ea fuſe Auctor anonymus *Artis Agriculturæ*, Anglice conſcriptæ.

§. III.

Propertius *illuſtratur.*

DE Verſiculo notandum, Artis eum Poeticæ legibus ſumme conſentaneum eſſe, plurimumque præ ſe ferre elegantiæ: nam cum *Belgæ* vitro uſi fuerint, & Colore cæruleo, ut terribiliores inimicis eſſent, ſe infecerint, quid Poetæ magis in votis eſſe potuerat quam *Cynthiam* ſuam abſque fuco apparere, blandam viz. formoſam, & nativis coloribus ornatam:

Turpis Romano Belgicus *ore color.*

Tò Belgicus *abſolute poſitum.*

Unum inſuper addendum, nempe τὸ *Belgicus* hic, ut in *Julii Vitalis* Epitaphio τὸ *Belga*, poni abſolute, ſine adjectione τῷ *Britanno:* quod apud Auctores Latiniſſimos raro invenitur. Hæc de *Colore Belgico.*

CAP.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.

In honorem Belgij, *et bonaru Literarum, dulcissimus Adolescens forma, moribus, ingenio incomparabilis,* ALEXANDER Luttercellorum *Princeps, veteri* Angloru *Nobilitate natus, hanc Antiquitatiū* Britanno Belgicarum *Tabulam D. D. D.*

AD. MDCCXVIII.

M. Vdr Gucht Sculp.

CAP. XVI.

De Claudii *Tropæo, propter* Ogonem *eruto.*

§. I.

NOTATU digniſſima eſt Inſcriptio, *omnium quæ in Britanniis inventæ exſtant, antiquiſſima*; *Claudii* Imp. & Victoriarum, quas ille reportavit, in memoriam, hiſce verbis concepta: *Inſcriptio omnium, quæ in* Britanniis *inventæ exſtant, antiquiſſima*

TI. CLAVD. CÆSAR. AVG.
P. M. TR. P. VIIII. IMP. XVI.
DE BRITAN.

Tropæum ex oblonga Plumbi tabula, in qua Inſcriptio hæcce legebatur, propter *Ogonem*,

Ogonem, uti refert Doctiſſ. 1 *Lelandus*, circa initium ſæculi ſupra decimum quinti, aratro erutum eſt, & ad Ædes *Tho. Howardi*, *Norfolciæ* Ducis, *Londinium*, eodem referente, tranſlatum: qui rerum antiquarum diligentiſſimus inveſtigator, ibi illud proculdubio manibus tractavit, oculis perluſtravit.

§. II.

TRIBUNITIÆ poteſtatis anni declarant Annum Imperii: quocirca nono Imperii *Claudiani* anno poſita fuit hæc Inſcriptio; id eſt, Anno U. C. 802; D. 49; Conſulibus *Gallo* & *Verannio*. (Declarant, inquam, maxima ex parte: non ex omni. *Tiberius* enim diu antequam Imperator eſſet, poteſtatem habuit Tribunitiam; ut & alii non pauci: Uſum hac in re communem, poſt *Camdenum*, *Pagium*, alioſque ſequor) *Claudius* Trib. Pot. V, *Vinicio* & *Tauro* Coſſ. id eſt Anno Imperii quinto iniit; ut & Trib. Pot. VII, quando Cenſor; id eſt, Imperii ſui ſeptimo:

Quo tempore poſita.

1 *In Appendicis ad* Joh. Lelandi *Collectanea*, *Parte prima*, *pag.* 45.

mo: Similiter, Tribunitiam Poteſtatem VIIII, anno Imperii nono illum geſſiſſe arbitrandum eſt.

Cl. *Camdenus* Nummi Figuram exhibet, cujus Epigraphe, ſi manifeſtum in eo erratum excipimus, cum hac Inſcriptione concordat examuſſim: Annus enim Tribunitiæ Poteſtatis falſo ponitur XIII (duplicata ſcil. V) pro VIIII. Equo tolutim incedenti, cum retorto ad lævam capite, Imperator inſidet, ſiniſtra virgulam tenens. Duo ſunt Tropæa, quibus interponitur Equus. Hiſce tribus ſubjicitur Lamella cum Epigraphe DE BRITANNIS. Hæc omnia ſuper Arcum Triumphalem.

§. III.

ANTISTIO & *Suillio* Coſſ. id eſt, Anno U. C. 803; D. 50, ſecundum *Tacitum*, & ejus Editorem eruditiſſimum, *Theod. Ryckium*, *Iceni*, *Cangi*, & *Brigantes*, ab *Oſtorio*, in *Britannia*, vincuntur, & ex hiſce victoriis binæ, *Camdeno* ſentiente, Tropæis hic duobus celebrantur. Nummi & Hiſtorici diſcrepantia eſt unius anni: Neque enim victoriæ A. D. 50 adeptæ, anno poterant anteacto celebrari. *De eo dubii*

Veri-

Verisimile est, partas A. D. 49 fuisse victorias, id est, nono Tribunitiæ Potestatis, incipiente; sed a *Tacito* ad annum sequentem, in quo is finierat, translatas.

Solutio. Huic opinioni non parum favet, quod, ut ex 1 *Livio* patet, Tribunatus ineundi tempus fuit IV Idus Decemb. ut vero Tribunatus, sic etiam Tribunitiæ potestatis ineundæ fuisse tempus, (quando nihil contra arguat) summe probabile est: At imperare cœpit *Claudius* VIII circiter Calend. Februar. unde Nummi cum Historia facilis concordia.

§. IV.

Consulatus annum multis inde post annis citari.

IN Lapidibus *Gruteri Pighiique Claudianis* hujus anni Inscriptio est, quam mox dabimus, in qua Imperator TR. P. IX, & Cos. IV. Cum ille Consulatum quartum A. D. 47, A. U. 800, gesserit, tradente 2 *Censorino*, Scriptore satis accurato, poterit existimare aliquis, hoc cum anno TR. P. IX minime convenire, verum Inscriptionis hujus fidem convellere; sed diligenter

---

1 *Lib.* XXXIX, *Cap.* 52. *Vide etiam* Dionys. Hal. *Lib.* VI, *A. U.* 261. *Clariss.* Dodwelli *Prælectionem* XII, *Sect.* VII. 2 *De Die Natali, Cap.* 17.

ligenter advertendum est, Consulatus annum non tantum eo currente, sed & multis post eum absolutum annis citari; nimirum usque dum aut morte Imperatoris, aut alio ejus Consulatu jam exoleverit. *Claudius* Consulatum quintum A. D. 51 gessit, & per annos a quarto ad quintum Consulatum, ille Cos. IV. continuo dicebatur.

ILLA vero Inscriptio, quæ hujus Capitis non unam partem illustrat, ita se habet.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAISAR.
AVG. GERMANICVS. PONT. MAX. TRIB. POT.
VIIII. IMP. XVI. COS. IIII. CENSOR. R. P.
AVCTIS. POPVLI. ROMANI. FINIBUS. POMERIUM
AMPLIAVIT. TERMINAVITQVE.

§. V.

INSCRIPTIONIS anno, nempe 49, *Claudius*, Imp. XVI. appellatus est, ob victorias in *Britannia* partas. Doctissimus [1] *Savilius Claudium* VI, VIII, ad XV, & deinde XVII, ad XXI, Imperatorem appellari tradit; numerum XVI, in hoc calculo prætermittens: potest is ex hac Inscriptione suppleri.

Doctiss. Savilii *Fastorum emendatio.*

1 *In Fastis.*

Numeri VIIII. *vetus scribendi mos.*

GRAMMATICI Numerum nonum ita vulgo exprimunt [IX.]: at Inscriptiones, quæ Libris MS. sunt præferendæ, amant fere, ut in hac nostra, [VIIII]; cujus sexcenta passim exempla sunt.

EODEM Anno *Claudius* Urbis pomærium auxit, more prisco, quo iis, qui protulere Imperium, etiam terminos Urbis, referente 1 *Tacito*, propagare datum est. *Agrippinam*, Fratris *Germanici* Filiam duxit in uxorem, idque Liberti hortatu; *Judæos*, & in iis *Christum* profitentes Urbe *Roma* expulit.

§. VI.

Plumbum, in quo Inscriptio,

INSCRIPTIO nostra, ex antiquorum more, Laminæ plumbeæ fuit impressa: Plumbum facile recipit impressionem, & receptam tum diutissime tum fidelissime retinet. Ita nomen *Germanici* 2 plumbeis tabulis insculptum est. Apud *Gruterum* quamplurimæ occurrunt. Non paucas vidit Doctiss. 3 *Lelandus* per universam *Britanniam*. Epitaphium inclyti Regis *Arturii*, in Insula *Avalonia* non procul

1 *Annalium Lib.* XII. *Cap.* 23. 2 *Lib.* II. *Cap.* 69. 3 *In Assertione* Arturii (*Ed.* Oxon.) *pag.* 45.

cul ab *Ogone* repertum, fuit [1] hujuſcemodi.

PLUMBUM Minerarii Colles (ſic a *Lelando* dicuntur *Mendip-Hills*) in vicinia præbuere, vel ſaltem eos præbuiſſe veriſimile eſt: Certe Plumbum album in mediterraneis hujus Inſulæ regionibus naſci ſuo tempore, a [2] *Cæſare* docemur. Et quidem ab hiſce *Claudii* & *Arturii* Laminis e Plumbo, hac in regione inventis, opinari licet, priſcis illis temporibus, Fodinas *Mendippenſes*, & a *Saxonibus* & a *Romanis* fuiſſe patefactas, eorumque Molybdænam in communem uſum effoſſam. Certo autem certius eſt, in eo *Belgii* tractu *Romanos*, anno Imperii *Claudiani* nono, morari, ſive in Plumbo effodiendo, ſive in Viis militaribus conſtruendis, aliaſve, poſt ſubactos Hoſtes, occupatos.

Fodinis Mendippenſibus effoſſum, earum antiquitatem oſtendit.

COLUMNÆ adfigi Lapideæ Plumbum mihi perſuaſiſſimum eſt, ut nimirum emineat, legentiumque, præcipue myopum, oculis patens ſe viſendum præbeat: quod etiam antiquorum uſui conſentaneum eſt. Et Laminæ & Columnæ Figuram, ære (ſed ex conjectura) inciſam, exhibebimus. Vide Tab. XIII, Fig. 1.

Columnæ Plumbum adfigitur.

1 *Ibi.* 2 *De Bello* Gallico, *Lib.* V.

Nummi Gevartiani.

DUO ſunt in Tabulis *Gevartianis* nummi, quorum prior *Spem*, herbam militibus porrigentem, exhibet: quaſi ſpondeat ipſos victores fore. Nummum hunc percuſſum arbitratur Editor, cum *Claudius* expeditionem in *Britanniam* adornaret. In Figura III, *Britannia* dextra gubernaculum navis geſtat. Adjacet Prora navis, nempe quia mari cingitur. Hæc e *Gevartio*.

§. VII.

Ogonis *Antri* Notitia Romanis.

CUM eo Terræ tractu verſarentur *Romani*, non improbabile videtur, *Ogonis* Antrum, quod eſt in propinquo, illos intrare, multiplices anfractus, & præcipitia introitus, Petrificationes in eo innumeras, nunc Strumarum more tumentes, nunc tamquam Mucrones in aere pendentes, & ex alto mortem *Damocleam* minitantes; intus autem Aream, quaſi ad ſaltatus & tripudia deſtinatam: interius amnem molliter labentem, & cum murmure, priſtino meatu relicto, viam facientem: vaſta porro ſpatia, & in iis nunc ſuccidias (a forma ſic dicuntur) nunc Columnas e *Stalactite* pendulas, oculoque judice cadentes: Aerem interea tepidum & temperatum;

ratum; aliaque hujus Antri mirabilia ſpectare, mirari: Quæ cum milites *Romani* contuerentur, *Sibyllæ* Antrum immane memorati, multa de iis proculdubio *Romam*, matrem Urbium renunciarunt, Belli eventa, & in Inſula quæ notanda literis mandantes; quæ cum a *Clemente* demum *Alexandrino* legerentur, eique innoteſcerent, in cauſa forſan eſſent, quod de *Britannia* vir ille perdoctus, inter ὑπομνήματα εἰς γῆρας ſcripſerit in hunc modum [Λέγουσι δὲ καὶ τὰς ἱστορίας συντάξαμενοι, ἀμφὶ τὴν Βρετανικὴν νῆσόν τι ὑποκείμενον ὄρει, ἐπὶ δὲ τῇ κορυφῇ χάσμα. Ἐμπίπτοντος δὲ τοῦ ἀνέμου εἰς τὸ ἄντρον, καὶ προσρηγνυμένου τοῖς κόλποις τοῦ ὀρύγματος, κυμβάλων ἀρύθμως κρουομένων ἦχον ἐξακούεσθαι]. Id eſt, *Dicunt autem ii qui conſcripſerunt Hiſtorias, in* Britannia *Inſula eſſe quandam ſpeluncam monti ſubjectam, in faſtigio autem hiatum: cum autem ventus in ſpeluncam incidit, & in foſſæ ſinu alliditur, audiri ſonum Cymbalorum, quæ numeroſe pulſantur.* Certe *Ogo* noſter Antrum monti ſubjectum eſt, quod in loco ejus edito prope faſtigium habet Hiatum, in quem dum Caurus inflat (hoc autem maximam anni partem facit) & in ſpeluncam incidit, inque ſinum Antri illiditur, numeros ſonorum edere videatur, qui imagi-

Et Clementi *fortaſſean* Alexandrino.

imaginationis ope, Cymbalorum esse judicentur. Specus in *Cilicia Coryceus*, huic non multum absimilis, a *Pomponio* 1 *Mela* verbis elegantissimis exprimitur, non sine voluptate summa legendis.

HUIC opinioni astipulatur id, quod sequitur, nempe *Clementem* tempore *Severi* & *Bassiani* Impp. floruisse, unde ea de Rebus *Britannicis* legendi discendique, post tot tantasque Copias in *Britanniam* missas, non una fuit oportunitas. Verum quidem hæc hactenus.

---

1 *Lib.* I. *Cap.* XIII.

CAP.

Cap. XVII.

De Urnis, Seria, *rebusque aliis in* Belgio *dudum inventis.*

§. I.

URNÆ in *Belgio* quamplurimæ, alio alioque tempore, fuerunt effossæ; quæ fortuitu, vel negligentia diffractæ, formam & decus amisere: Nos hic eas solum memorabimus, quæ dudum inventæ etiamnum integræ servantur, alicujus notæ sunt, & observatione dignæ.

§.

§. II.

Urna minor, PRIMA igitur, ut a minima incipiam, Tab. XIV. Figura prima exprimitur: quæ utique pulcherrima, fit ex Luto cinericeo, continetque Aquæ Uncias octo. *Aquis Solis* ad me, cum aliis quibusdam antiquorum monumentis, *Iscam* missa, Ossium ustorum Frustula, (quæ Puerilia parvitate videbantur) itemque Cineres habuit. Puelli proculdubio nobilis cujusdam *Urna* fuit, in qua delicii sui cineres & ossa condi, voluit pater mœrentissimus.

major, in Sepulcreto Julii effossa. ALIAM simul accepi, capaciorem, (vide Fig. 2.) quæ Aquæ libras minimum octo, sive Congium unum recipit; colore pariter cinereo: Hæ duæ prope *Aquas Solis* in Sepulcreto *Julii Vitalis*, sunt effossæ. Aliæ porro fuere, quarum mihi sunt Figuræ, quæ cum aliis, ab Auctoribus jam descriptis, conveniant, plura de iis dicere supersedebo.

§. III.

A σηλία, quod vocabulum est πολύσημον, est σηρία; unde Latina vox *Seria*. Est autem *Seria* vas figlinum, quod sub terra fere defodi

defodi ſolitum eſt, oleo ſeu vino condendo inſerviens: Anglice a *Jarr*: de quo vide 1 *Plautum*, 2 *Livium*, 3 *Terentium*, 4 *Catonem*, 5 *Varronem*, 6 *Perſium*, 7 *Columellam*.

Relevi Dolia omnia, omnes Serias,
Inquit *Terentius*.

——*O ſi*
Sub raſtro crepet argenti mihi Seria, *dextro*
Hercule: *Perſius*.

Prior de *Seria* Vinum continente, poſterior de Theſaurum habente intellegendus. Vas hoc *Hiſpanis* adhuc in uſu, olei condendi ergo, a Mercatoribus hanc in Urbem ſæpius adfertur. Seriæ *Deſcriptio*,

HUJUSMODI Vas eſt, quod Figura tertia exprimitur, Os anguſtum habens, & utroque ejus latere Anſam. Trium pedum altitudo eſt, ambitio quatuor cum dimidio, Aquæ ſex Congios capit. Apud *Deviſas*, oppidulum *Belgii* perantiquum, una cum Penatibus & Numiſmatum theſauro erutum, hodie penes olitorem eſt,

1 *In Captivis*, *Act*. IV. *Sc*. IV. *Verſ*. IX. 2 *Lib*. IV. *Bello* Punic. 46. 3 *Vide* Heaut. *Act*. III. *Sc*. I. *Et in eum locum* Fr. Guieti *Commentarium*. 4 *Cap. ult*. 5 *De Re Ruſt*. *Lib*. III. 6 *Sat*. II. 7 *Lib*. XII. *Cap*. XVIII.

Ad vinum condendum usus. Penatium eo loci inventorem. Proculdubio *Romanis*, ibi stationem habentibus, usui fuit, ad Vinum vel Thesaurum custodiendum. *Vinum* mallem, quando nulla in eo Numismata, juxta vero quamplurima reperirentur. Ea nempe *Romanæ* militiæ fuit lautitia, ut Vino adsueti nequirent eo carere; quod ut curiose conservarent, fictilia compararunt.

§. IV.

Urna ansata. *URNA* porro *Ansata*, cum Puelli Ossiculis, *Urnæque Vitreæ* Fragmenta, cum *Lampade* & *Annulo Argenteo*, fuere non procul ab *Aquis Solaribus* inventa: de quibus, cum ad manus nostras minime pervenerint aut ipsa, aut ipsorum figuræ, neque de iis ex aliorum relatu distincte possem eloqui, non est ut verba faciamus. Minime vero tenendum est, Urnis non nisi minoribus contineri juniorum Cineres, ut & natu majorum Cineres Urnis majoribus. Urna exilis sacros *Ciceronis*, in urbe *Zacyntho*, cineres servabat, tradente [1] *Favolio*.

---

1 Brouckusius *in* Propertii *Lib.* IV.

CAP.

TAB. XI.

Fig. 1.

pag. 195.



Fig. 2.



Fig. 3

Fig. 4.

M. Vdr Gucht Sculp.

Monumentorũ hanc Britanno-Belgicorũ Tabulã, cum publico communicari voluit Honorabilis JOH: TREVELYAN, Baronettus, Vir Amplissimus, et Spectatæ Virtutis. CIↃDCCXIIX.

CAP. XVIII.

De Arca Lapidea, *&* *de* Munimento *Sepulcrali.*

§. I.

ESTI Cadavera comburendi mos, apud *Romanos*, post *Syllam*, multum invaluit; tamen non universe: Nonnullis placuit, ea, veterum ex consuetudine, *Arcis* includere, sicque humo sepelire.

Arcarum ab antiquo usus.

§. II.

SED cum *Arca* in re funerea significationis sit ambiguæ, nec a quoquam unquam (quod sciam) satis explicata vox, operæ pre-

Arca interdum Feretrum.

pretium erit initio notare, interdum eam *Feretrum*, ἀπὸ τοῦ φέρειν, indicare; quod in eo Corpus ad Sepulturam efferretur: qua significatione, nunc Sandapila, nunc Orciniana sponda, nunc Libitina, nunc Lectus Stygius appellari solita est. Anglice, *a Bier*; ita [1] *Lucanus*,

Da vilem Magno plebeii funeris Arcam.

Et [2] *Horatius*,

Huc prius angustis ejecta Cadavera cellis,
Conservus vili portanda locabat in Arca.

Plebeium hoc Sepulturæ genus & ignobile habebatur; nam in Sandapila, [3] *Fulgentio* teste, non Nobilium corpora, sed Plebeiorum atque Damnatorum cadavera portabantur. *Polycrates Samiorum* Rex, postquam de cruce depositus, Sandapila deportatus est.

Nunc Monumentum. NUNC *Monumentum*, sive *Loculum* significat *Lapideum*, supra terram ita constructum, ut emineat, & viatorum oculis se procul conspiciendum præbeat. Anglice *a Tomb*. Hoc sensu [4] *Seneca*, *Ravardo*

---

1 *Lib.* VIII, *V.* 736: 2 *Ser. L.* I. *Sat.* VIII.
3 *Vide Libellum ejus* De prisco Sermone, *inter Auctores Lat. Linguæ, per* Gotofredum *Editos. pag.* 801.
4 *Epist.* LXXXVI, *& ad eam Notas Var.*

vardo opinante, intellegendus. [*In ipsa* Scipionis Africani *villa jacens*, ait, *hæc tibi scribo, adoratis manibus ejus* & Arca, *quam Sepulcrum esse tanti viri suspicor.*] Hoc sensu *Frontinus*, [*In campis statuerunt terminos quadratos cursorios, Spatulas vel Mætas assignatas, & interjectis locis*, Arcas & *Monumenta, vel alia testimonia.*] Eæ vero *Arcæ*, ut doctissimus Editor, [1] *Rob. Keuchenius* adnotavit, [*Finales ut plurimum Sepulcrales erant, & condendis mortuis serviebant* :] At quia finales erant, & ad Agrorum Limites ostendendos aliqua ex parte factæ, ideo supra Terram eas extare concludendum est. Ita [2] *Virgilius*

——— *Sepulcrum*
Incipit apparere Bianoris.

NUNC *Cavernam* illam indicat *Arca*, (Anglice *a Grave*) quæ Monumento subjecta & obtecta, Cadaver recipit, dicique solet a capiendo Capulum: ita [3] *Nonius* [*Sepulcrum* Capulum *veteres dici volunt, quod corpora capiat.*] Hinc senex Capularis, i. e. Capulo proximus. [4] *Apuleius* [*Ecce*

Nunc Cavernam (*Anglice* a Grave).

---

1 *In* Frontinum *de Coloniis, pag.* 364, & 416. *Ed.* Amstel. 1661. 2 *Eclog.* IX. 3 *Voce* Capulum. 4 *Metam. Lib.* X.

[*Ecce pater*, inquit, *suis ipse manibus cooperculo* Capuli *remoto, commodum discusso mortifero sopore, surgentem postliminio mortis deprehendit filium* :] Alibique a Monumento 1 distinguit Capulum ; uti etiam 2 *Caius*. Dicitur & Loculus, qui ad aliquid ponendum in terra factus est Locus 3.

§. III.

Nunc Capsam indicat: Auctore

SED ad rem nostram ut propius accedamus, *Arca* sæpe Capsam sive Cistam illam significat, in qua, (Anglice *a Coffin*) Cadaver impositum una cum ea humo condebatur. Hoc significatu Synonyma habet Arcula, Arcella, Loculus, Locellus, Capulum: Græce dicitur Σορὸς, Λάρναξ, Κιβωτὸς, Κάμψα, de quibus ex idoneis Auctoribus singulatim. 4 *Petronii* jubet *Ephesia* matrona, mortuum scil. impendere malens, quam vivum occidere, [*Mariti sui corpus ex* Arca, *in conditorio locata tolli, atque cruci adfigi.*]

5 *LIVIUS* in *Arcam Lapideam* Numæ Regis Corpus, imponi tradit, & sub *Janiculo*

---

1 *Lib.* IV. 2 *D. De Relig. & Sumpt. Lege* 7.
3 *Vide* Isidori *Origines, Lib.* XX. *Cap.* IX.
4 *Cap.* 112. 5 *Lib.* I.

culo terræ mandari; quæ quidem *Arca* a *L.*[2]*Terentio* effossa, *P.Cornelio* & *M.Bæbio* Coss. A.U. DLXXIII, per tabem tot annorum (nempe DXXXV) inanis, sine ullo vestigio corporis humani fuit inventa. Idem fere narrant [1] *Val. Maximus*, [2] *Plinius*, [3] *Lactantius*, [4] *Plutarchus*: quorum ultimus *Arcas Lapideas* vocat λιθίνας σορῶς. *Non unde patet.*

[5] HESYCHIUS habet Σορὸς, Μνῆμα, Θήκη. Λάρναξ, Κιβωτὸς, Σορὸς, Κάμαρα, pro quo legendum Κάμψα, vel (secundum [6] *Meursium*) Κάψα. Habet Lexicon Latino-Græcum vetus Arca, Arcela, Κιβωτὸς, Κάμαρα, Λάρναξ. [7] *Suidas* Κιβωτὸς, Λάρναξ, Κίστη. [8] *Martinius*, Κάψα a κάμπτω, flecto, quod ex Lignis flexis fiat. Ita [9] *Ennius*, [*Leucaten campsant*,] i. e, cursum circa *Leucaten* flectunt: Anglice, *Doubled the Cape*. *Arca*, secundum [10] *Festum*, facit diminitivum Arculam, & Arcellam. *Hannibal* in *Arca Lapidea*, [11] *Victore Aurelio* teste, positus est. *Synony. Arcæ.*

§.

---

1 *Lib.* 1. *Cap.* 1. *Sect.* 12. 2 *Lib.* 13. *Cap.* 13.
3 *De Falsa* Rel. L. 1. *Sect.* 22. 4 *In* Numa.
5 *Voce* Σορὸς. 6 *Voce* Κάψα. 7 *Voce* Κιβωτὸς.
8 *In* Cadmo Græco-Phœnice. 9 *pag.* 92. *Ed.* Wetsten. 10 *Voce* Arca. 11 *De viris Ill. Cap.* 42.

§. IV.

In locum commodiorem

UT *Romanis* Sepultorum cura fuit quam maxima, ſic etiam *Arcarum* in quibus ſepeliebantur. Ita enim [1] *Marcianus* [*Divi Fratres Edicto admonuerunt*, Ne juſtæ Sepulturæ traditum, id eſt, Terra conditum, corpus inquietetur. *Videtur autem Terra conditum, etſi in* Arcula *conditum hoc animo ſit, ut non alibi transferatur. Sed* Arculam *ipſam, ſi res exigat, in locum commodiorem licere transferre, non eſt denegandum.*]

Arcam, urgente gravi cauſa, licuit transferre.

§. V.

Xiphilini Λάρναξ.

REFERT *Dio* [2] *Xiphilini*, & ex eo *Suidas* in voce Λάρναξ, *Petilium Cerealem*, alioſque a *Veſpaſiano* ſtantes, Urbem *Romam* invadentes, per literas ἐς τὲ λάρνακας μετὰ τῶν νεκρῶν, fieri certiores omnium quæ in Urbe gererentur. Λάρνακες non hic *Urnas* ſignificant, quod Interpres opinatur; verum *Arcas*, uti cenſeo, Ligneas: quod ipſa rei ratio videtur arguere. Ita

1 *D. De Relig. & Sumpt. Leg.* 39. 2 *In* Vitellio.

Ita 1 *Josephus*, Δύο λάρνακας ὡς εἰς ἐκκομιδὴν νεκρῶν παρεσκευασμένοι. Ita 2 *Thucydides*, Ἐπειδὴ δ' ἡ ἐκφορὰ ἦν, ἐκφόρακας κυπαρισσίνας ἄγουσιν ἅμαξαι φύλης ἑκάστης μίαν: cum efferendum funus est, *Arcas* ex Cupresso currus singularum tribuum singulas ducunt. Λάρναξ a 3 *Suida* quoque exponitur Σορὸς, Κιβωτὸς. 4 *Lelandus* asserit *Arturium*, *Herculem illum Britannicum*, [*robore alneo excavato fuisse conditum, idque ex more seculi, quod Alnorum ingentes Truncos incavare, & in usus Sepulcrorum dedolare solebant. Habet enim* Alnus, (inquit ille) *nescio quid commune cum uliginoso solo, quale cœmiterium est, usque adeo, ut ejus materia, in terra hujusmodi altius posita, tantum non æterna censeatur.*] Arturii ex Alno Cista.

§. VI.

SIC e Ligno, nunc Cupressino, nunc Alneo, eoque nunc cavato, nunc in asseres diviso, fieri solebant *Arcæ*: His addi possunt Metalla, si veterum opinionibus standum fuerit. *Homerus* ex 5 Argento *Ex Metallis*, Arcæ.

1 Περὶ ἁλώσεως: 2 *Lib.* 2. 3 *In voce* Λάρναξ. 4 *Vide Assertionem* Arturii, *pag.* 45. 5 *Iliad.* σ.

Arcas & ex [1] Auro factas memorat, in *Parnasso*, ut opinor, effossas.

——Ὅπλα τε πάντα
Λάρνακι, ἐς ἀργυρέων συλλέξατο τοῖς ἐπονεῖτο.

Iterumque

Καὶ τά γε χρυσείων ἐς λάρνακα θῆκαν ἑλόντες,
Πορφυρέοις πέπλοισι καλύψαντες μαλακοῖσι.

Quin & ex [2] Plumbo fieri docet *Diaconus*, in *Narsete*, [*Cujus Corpus positum*, ait, *in Locello Plumbeo, cum omnibus ejusdem divitiis*, Constantinopolim *est perlatum*.]

§. VII.

Corpus ab alienæ mistura materiæ liberum, conservat Arca.

PATET ex his Excerptis, primo *Arcam*, eo sensu, quo nos usi sumus, a Sandapila, a Monumento, a Cavea differre; Cistamque, uti dixi, significare: Deinde, in Sepulcretum illatam eam non sine gravi causa oportere dimoveri; sed tamen, urgente ea posse *Arcam* alibi, cum incluso corpore, transferri: Deinde, usum ejus, sive ex Metallo, sive ex Ligno, sive ex Saxo factæ, continentem esse, ut mortui Corpus

---

1 *Iliad. ω.* 2 *Vide* Pauli Diaconi *Lib.* XVIII.

Corpus in ea conditum, per se, ab alienæ mistura materiæ conservetur. Mortuorum Honos usquequaque retinendus, ampleque decernendus; eumque populi, quibus Sanctitudo, Pietas, Religio cordi fuit, grate semper impertivere.

§. VIII.

PLURIMÆ sunt hujusmodi *Arcæ*, nempe *Lapideæ*, apud nos inventæ, nimirum apud *Trinobantes*, *Icenos*, & [1] *Ordovices*; quarum unam alteramque in æs incisam, (quoniam minime publicatam meminerim) in medium feram. Non ita pridem ad *Aquas Calidas* effossa est, in suburbiis, juxta viam, qua ad Colliculum itur, *Lansdown* appellatum, ea, quæ Tab. XI. Figura prima exprimitur. Est ea magnitudine, forma, duritieque, quæ Humano Cadaveri tam conservando, quam recipiendo sufficiat. Longa fuit pedes sex, uncias tres, & dimidiam: alta tredecim uncias; crassa tres; cava, qua Humeros cepit, uncias octodecem; qua

Arcæ *Lapideæ*, ad Aquas Calidas

1 *Vide* Camdeni Britanniam: Galæum *in* Antonini *Iter*. I. Weaver *of Funeral Monuments*, *pag*. 30.

effossæ, dimensiones. pedes, octo. Lapis ei fissilis operculo fuit. Ossa tenuit Humani corporis adulti universa, prona, utpote corporis in faciem inversi. In hac autem æterna domo, quam forte se vivo fieri curavit, dum mortuus adquiescit, a facinorosorum hominum impietatibus, ab improborum malitia, a nequissimorum simulatione dissimulationeq; tutus & immunis adquiescit: Quin & hac æterna domo quiescunt, qui numquam antea quievere.

FRAGMENTUM erat alius *Arcæ*, non procul a *Julii Vitalis* Sepulcreto erutum, priori non absimilis.

§. IX.

Pronum in ea Corpus. UNUM est, quod me solicitum habet, & in quo non parum hæreo: nempe Corpus (quantum ex ejus Ossibus licet conjicere) pronum, non, ut moris est, supinum, in *Arca* fuisse positum. Certe hoc in *Diogenem Cynicum* optime quadrabit: (de re præsenti, nihil habeo, quod dicam.) Ad *Xeniadem*, cum hic interrogaret, quomodo sepeliri vellet, responsum dedit [1] *Cynicus*, sepeliri se voluisse, εἰς πρόσωπον, i. e.

[1] *Vide* Laertium, *in ejus Vita.*

i. e. *in faciem versum:* Illoque causam scisciitante, subjunxit, ὅτι μετ ὀλίγον μέλλει τὰ κάτω ἀναστρέφεσθαι, *quia paulo post inferiora in contrariam partem converterentur.* Hanc rem aliis explicandam relinquo: Unum tantummodo subjiciam, Urnas etiam interdum ore prono inveniri. Hoc in *Mona* sive *Anglesey* notari tradit *Harrisonus*, sive potius *Lelandus*, in *Britanniæ* Descriptione, Cap. X. ut hoc non tam fortuitu, quam studio & de industria, fieri existimetur.

§. X.

FIGURA tertia exprimitur *Arcella*, quæ autumno Anni 1706, prope *Julii Vitalis* Cippum, effossa, pedes quinque longa, alta quatuordecem uncias, extra; intra, octo; crassa vero quatuor; lata, pectoris regione, quatuordecem; pedum autem, uncias duodecem. Operculum pedes quinque, uncias duas longum; pedem unum, uncias novem, supra; pedem unum, uncias sex infra, latum; crassa uncias circiter quatuor. *Arcella,*

PRÆ-

1 *Sir* Tho. Brown's Hydriotaphia, *pag.* 29.

Cum in ea contentis. PRÆTER ossa Puelli quasi decennis omnia, binas tenuit *Arcella* Urnulas, singulo latere singulam; & ex Luto Imagunculam; ut non tantum Cadaveri, sed & iis, quæ ad illud pertinuerint, accipiendis, inservire has *Arcellas*, arbitremur.

§. XI.

G. Rúfi, & Lhewelyni *Arcæ.* DE *Arca Lapidea* sepulcrali antiquorum hactenus: Hoc addam, in Ecclesia Cathedrali *Ventæ Belgarum*, *Guilhelmi Rufi* corpus, in Arca Marmorea conditum, hodie jacere; & *Lhewelynum ap Jorweth*, *Walliæ* principem inclytissimum, Anno 1240 defunctum, in Abbatia *Conoviensi* fuisse terræ mandatum; sed *Arcam*, in qua positum est cadaver, exauctorata Abbatia, remotam ad Ecclesiam *Lhan Rwst*, Doctiss. tradente [1] *Lhwidio*, nunc etiam visendam.

§. XII.

De Munimento Sepulcrali.

Monumenti delineatio DUM in hisce prelo parandis essem, a nobili *Belga*, D. *Nathan. Palmer*, patriarum

1 *Vide ejus Additamenta ad* Camdeni Ordovices: *In* Denbigh-shire.

arum Antiquitatum cum primis ſciente, Literas accepi; in quibus ille monumenti pervetuſti, & (uti videtur) *Romani* reliquias, ſua manu delineatas, perhumaniter mecum communicavit. Monumentum *e Belgio miſſa.* iſthoc, vulgo [*The Wedding*] appellatum, *Aquis calidis* ſeptem octo milliaria diſtat occidentem verſus, non procul a via militari, quæ Tabula noſtra *Belgii* deſcripta eſt. Conſtat autem ex Lapidum Circulis, numero diverſis, diametro inæqualibus, plus minus perfectis; quos ære ſculptos Tab. XIV. videre licet. Primum, eorum, uti nunc ſunt, ſtatum exhibere; deinde, quem in finem conſtruerentur, conabor explicare.

§. XIII.

A circuli majoris Centrum eſt. Lapides in Peripheria ſuperſunt XIII, eorumque tres ſolum erecti: perfecti autem hujus Circuli, qualem olim fuiſſe, proclive eſt opinatu, Peripheriam Lapides XXXII, eoſque XI virgarum ex intervallis inter ſe diſtantes habuiſſe, veriſimile eſt. *Ejus Deſcriptio.*

ALIUS Circuli Centrum eſt B, a quo ad peripheriam Radius eſt virgarum XVI.

Inte-

Interiores Circuli duo ſunt, quorum intimus omnino integer, Lapides octo Cylindricos habet, eoſque, ſi unum demas, erectos; ſunt ii pedes novem alti, cum circuitu pedum XXII.

ALII porro Lapides ſunt, iis qui in circulis cernuntur non abſimiles, ab iis vero nunc diſtantes; quales hos ad circulos olim pertinere, ſed caſu quodam e locis ſemoveri, & alios ad civiles uſus, ædificia nempe, vias muniendas, & ejuſmodi alios, hinc auferri arbitror.

§. XIV.

De hoc Monumento Fabulæ.

VULGUS, ut errori deditum eſt & fabularum amans, neſcio quas de hiſce Lapidum Circulis effutiit. Alii *Nuptias* ab iis ſignificari volunt, a Gigante quodam e vicinia, eodemque Mago, hunc in locum & ordinem coactis: alii aliud cerebri figmentum. Ego, quicquid de iis ſanum occurrit, & veritati conſentaneum, in medium feram.

NIHIL omni antiquitate, quod ſciam, huic monumento ſimilius, quam quod *O. Wormius* inter monumenta *Danica* deſcripſit, cujus ſtructuræ, non procul a *Roeſchildia*, duo eſſe narravit. Saxa vero,

Inter ardua Reipub. negotia, ab Antiquitatis studio minime desistens,
Munimenti Sepulchralis *hanc Icona peramice communicavit* THO. PALMER,
de Fairfield, *Armiger, Ordinis Senatorij.*

CIↃIↃCCXIIX.

M. V.d. Gucht Sculp.

ro, cum Materia iis interposita, quibus cingitur Monumentum, *Pausania* Κρηπῖδας & aliorum *Maceriam* esse censet: his sepire & ab injuriis defendere monumenta solebant veteres, (ut ex sequentibus patebit) tam *Romani* quam *Græci*. *Germanicus* in Epigrammate de Tumulo *Themistoclis*,

Apud Græcos, & Romanos hujusmodi fuere monumenta.

Καὶ τύμβῳ Κρηπῖδα περίγραφε Περσικὸν ἄρη.

Ulpianus [1] [*Intra Maceriam sepulcrorum loca pura hortis, vel cæteris culturis servata, si nihil nominatim venditor exceperit, ad emptorem pertinebit.*] Ad hæc verba *Gotofredus* [Ex hoc loco possis observare, *Maceriis sepulcra includi olim consuevisse*; quod ex duabus Inscriptionibus probat *Brissonius*, & *Kirchmannus* ex Inscriptione, quæ *Paduæ* est.] *Suetonius* in *Nerone*, de morte *Britannici* [*Bustum consepiri nisi ex humili levique materia neglexit.*] *Macer* I. C. *Monumentum sepulchri* definit his verbis [2] [*Monumentum autem sepulchri id esse* D. Hadrianus *rescripsit, quod Monumenti*, i. e. *causa muniendi ejus loci factum sit, in quo Corpus impositum sit.*]

1 *L. Æde Sacra. D. De contrahend. Empt.*
2 *L.* XXXVII. *de Relig.*

§. XV.

Monumenti usus,

ERANT Lapides in hoc nostro monumento erecti, maceriæ stabilimento sive firmamento; nam cum ea nunc ex silice, vel alia humili aliqua materia, ruinosa certe & facile casura constet, Lapidibus hisce tamquam fulciminibus servabatur. Maceriæ quod Lapidibus interpositum, delevit ætas; Lapides, qui eam sustentarunt, aut disjecti in propinquo sunt, vel longe alio remoti, aut in pristino loco sunt, totius monumenti usum & naturam indicantes: sunt autem omnes impoliti, rudes, ex isto Lapidum genere, quod Pyriten habet, & in ea regione frequentissimum est.

§. XVI.

ut tueatur Corpus humanum ibi sepultum, a Græcis & Romanis accepimus,

HINC conjicere licet hujusmodi Circulis, sive alius figuræ Sepimentis (neque enim omnia perfecte rotunda sunt) mandari olim humo Cadaver Humanum, in eoque conservari: quoties autem duo Circuli, ut hic loci, fuerint, duo minimum Cadavera ibi condita fuisse.

DE crebris eo *Belgii* tractu Sepulturis nulla potest esse dubitatio, quando *Romani*

ni multum in eo verſarentur, & in eo multa prælia pugnarent: neque mirum eſt iſtiuſmodi Sepes, in *Wallia*, *Scotia*, & *Hibernia*, complures obſervari, quando *Romani* in omnem fere angulum hujuſce Inſulæ ſe inſinuarunt,& eum ſanguine perfuderunt: poterant autem, *Caledonii*, & *Hiberni* non minus quam *Cimbri* hunc morem a *Romanis*, ſive *Græcis*, acceptum in ſe derivare.

§. XVII.

AT ſi aliis viſum fuerit a *Runis*, accipi hæc Monumenta, non id moleſte feram; quando Aborigines *Britannicos* ab iis effluxiſſe, & ſecum Mores illorum huc afferre potuiſſe, pro certo habendum. Verum ut quæ res eſſe videatur, apertius dicam, hujuſmodi Monumentorum quando alia, (in quibus *Stone-henge*, &c.) propter altum apud Auctores Græcos & Latinos de iis ſilentium, recentiora judicentur, ſic alia,quorum in numero Monumentum hocce noſtrum, ante *Belgarum* adventum a *Runarum* Colonia quadam erigi, uti temere non ſtatuero, ita præfracte non negavero. Atque hæc eſt noſtra de hoc Monumento ſententia; de qua judicent eruditi pro ſuo jure. *Vel a Runis.*

CAP. XIX.

De Andromache Britanno-Belgica.



§. I.

Monumentum hoc ad Aquas Calidas effossum.

ABHINC anni fuere quinque cum Vir honestus *Franciscus Child*, Pharmacopola, & Prætor eo tempore *Bathoniensis*, muneri mihi *Bustum* misit *Exoniam*: (utor eo vocabulo, sensu novitio, sic, ut *Caput Statuæ* significet:) quod in Civitate sua, vel ejus suburbiis, aliquanto ante effossum est: Hoc quum Antiquitate venerabili sit, multisque nominibus æstimandum, hoc in loco discutiam, & Primum, de *Bustorum*

Fig. 3

Fig. 1.

Fig. 2.

Bustum *hoc* Britanno-Belgicū, *luci nuper restitutum, quod*
Aquarum Calidarum *Anti-* *-quitatem apertissime ostendit,*
V. I. ROBERTUS *EYRE,* **Eq: Auratus**,
Unus e **Banci Regii** Iustitiariis, *Patriarum* Legum *et* Liberta-
-tum *pertinax* Defensor, *Ære donavit, Reiq; pub:*
Literariæ consecravit.
A.D. CIↃDCCXVII.

M. Jean Guche Sculpsit.

rum apud *Romanos* usu, generatim: Tunc de hujusce nostri Figura, speciatim: Postremo, de ejus usu civili disputabo.

§. II.

SCITE a *Lactantio* dictum est, [*Similitudinum rationem iccirco ab hominibus inventam esse, ut possit eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerant separati.*] Quid dulcius, aut amore plenius, quam quorum illecebris & bonitate capti fuimus, eorum memoriam animis nostris Imaginibus servare; sic, ut eorum cultus & consuetudo fiat perpetua. Ut in virorum illustrium, in Amicorum, in Deorum memoriam & honorem, *Græci Romanique* homines Statuis utebantur integris, sic etiam interdum earum *Capitibus*. Ubi desunt Imagines, multum hac in re Capitibus efficitur: Caput enim reliquo corpore multo significantius. *Imaginum usus.*

§. III.

UNIVERSI Corporis Arx est, atque adeo tam intus quam extra munitissima. Per sensus in ea fiunt rerum ex- *Faciei virtus,*

tra

tra positarum impressiones; ex ea per Musculorum motus adversum illas eruptiones. Ratio in ea dominatrix, de hisce omnibus judicium fert, jubet, vetat, dolet, lætatur, & in omni re exercet imperium. Extra, vires etiam admirandæ sunt: vide, quæ in domandis oppugnantium animis, & ad mansuetudinem convertendis, Faciei virtus sit, & quanta Majestas. Noveram, qui torvi Vultus Imperio, alienatos ad sanam mentem redigere solebat; addito tantum idoneo victu. Neque hoc mirandum, quando ferocia Bellatorum Fœmineo vultui creberrime cedat, nec contra ejus autoritatem vel hiscere sustineat. Et Pecudes & Agri, pro Faciei decore olim, tradente 1 *Lucretio*, distributi sunt.

& potestas.

Condere cœperunt urbes, arcemque locare
Præsidium Reges ipsi sibi, perfugiumque:
Et Pecudes & Agros divisere, atq; dedere
Pro Facie cujusque, & Viribus, Ingenioque.
Nam Facies multum valuit.——

O factum bene!

FA-

Lib. V. Versu 1110.

FACIEI Variatio juxta diverſos animi Affectus, multiplicem eam eſſe probat, & hominis ſenſa indicat, modo appetentis, modo abhorrentis, modo timentis, modo triumphantis; ne dicam alias ejuſdem hominis ſexcentas Facies: Nam qui unam tantum habet Faciem, plerumque Philoſophus eſt, aut Morio. [*Nec Auguria novi, nec Mathematicorum cœlum* (ait Satyricus 1) *curare ſoleo, ex Vultibus tamen Hominum mores colligo.*] *Faciei variatio*

§. IV.

SED particulatim eos examinemus. Frons animi Janua, Triſtitiæ, Clementiæ, Severitatis, Hilaritatis index. Cutis, quæ ſoli Homini in Fronte mobilis, & in ſtrias diviſa, nunc caperat ſeveritudine, nunc erugata vacuum perturbationibus animum oſtendit: nunc auſtera, qualis Hominum moroſorum: nunc triſtis, ut in ſolicitis ſubdoliſque: nunc aperta, in conciliandis amicitiis magnarum virium. Si vel unas Oculorum vires oſtendere conarer; ſi ardentes *Virgilii*, ſi at- *quotuplex & quanta.* *Partium ejus*

Cap. 126.

attonitos *Claudiani*; si loquaces *Tibulli*; si mellitos, si ebrios *Catulli*; si minaces *Lucani*; si modestos *Ovidii*; si irretortos, si putres *Horatii*; si *Persii* scintillantes; si truces *Senecæ*; si æquos, si natantes *Silii Italici*; si venustos, si argutos *Ciceronis*; ampla quidem materies esset, & jucunda, sed in qua tractanda nimius essem, & defatigarer.

Quæ Virtutes? NASUS exstat, oris audax Promontorium, oculis submissum, Genas aptissime dispertiens. *Genæ* explicantur, in quibus, tamquam in Campis apertis, ludunt, gestiunt Cupidines. Ibi Pudor habitat, ibi Salus. *Oris* usus & Venustates nemo umquam satis apte pinxit, aut depinget. Quam firmiter mandibulas sejungit, & Oris gratiam tuetur ἕρκος ὀδόντων? Quis Linguæ virtutes vel animo poterit comprehendere? Quis Sonorum varietates & dulcedines? quis eorum miras, ad stuporem usque diversas Compositiones? quis Eloquentiæ vim divinam, quam nec ipse *Cicero* verbis exprimere potuit. Ipsi *Capilli* suas habent virtutes, & honores: Illud testatur *Romanorum* [*Calva Venus*]: Hoc universum fere genus humanum. Ex tanta Capitis excellentia, nequaquam mirum videbitur, si

illius

illius Icon in pretio habeatur, qua Amici Forma, Indoles, Ingenium, aliæque tam Animi quam Corporis Dotes tam apte repræsententur.

Atque hæc de *Bustis*, universe.

§. IV.

Busti Bathoniensis Descriptio.

HOC quod dono mihi datum, & in porticu nostra hodie propter raritatem muro affixum est, ex Lapide Spongioso, de Laromiis in *Aquarum Calidarum* vicinia, confectum, pondo centum est. Vide Tab. XV. Fig. I. Facies lata decem uncias, longa quatuordecem; unde si integra esset Statua, pedes octo cum duabus unciis, secundum [*Hominem Symmetrum*] *Joh. Sigismundi Elsholtii*, longa sit necesse est. Nasus ætate, sicut in muliere *Patursa* laborante, exesus, a *Romano* sive Aquilino multum abest. Capitis ornamentum, quale in veterum Nummis & Poematis non raro, in Statuis raro observatum; nec quidem umquam, quod sciam, nisi in *Cleopatræ* Statua, apud *Baudelotum* (de qua [1] in *Valesianis*) & in *Veneris* Icone, nuper apud *Belgas* eruta; qua de re certiorem me fecit αὐτόπτης. Formam habet hoc ornamentum semicircularem, utroque si-

1 Pag. 100, A Paris: MDCXCIV.

ne, juxta Aures, quibus adſiguntur παρόπτιδες, acutiorem; ſupra in medio arcu, ſive Fronte, latiorem. Bullulæ ſunt in ejus ſuperficie, tamquam ex Sindone conflatæ: Latus ſupernum uncias habet XLVII; infernum ſive cavum, XXV. In Occipitio Capilli ſatis promiſſi, Spiræ modo, torquentur in Nodum, vertici adfixum; qui Figura, quam verbis, melius exprimitur. Vide Tab. XV, Fig. II. Hæc capillorum ea ætate *Cura:* nam præter ſtudium ornandi totius corporis, obſervante [1] *Gronovio* Patre, proprium erat hoc verbum comtus Capillorum. Extat autem ornamentum in parte poſtica Bullulis refertum, quale deſcripſimus in antica. *Buſtum* hoc quaſi Coloſſi Caput eſt effictum, ad Hortum, Atrium, vel Viam aliquam, & fortaſſe Viam militarem, quæ a *Julii Vitalis* Sepulcreto ducit in Urbem, adornandum: ſed illuſtrium ævi ſui Matronarum ad formam effictum.

§. V.

Romanorum Andromaches

QUONAM autem ævo ſit, ex Poetis & Numiſmatis hauriendum. *Statius* in Epithalamio *Violantillæ*, —*Celſæ*

---

1 *Obſ. Lib.* I. *Cap.* XXIII.

—*Celsæ procul aspice Frontis honores,*
Suggestumque Comæ.

Descriptio, ex Poetis,

Et *Juvenalis* Satyra sexta, qua mulierum in vestitu enormitates acriter perstringit,

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagi-
(bus altum
Ædificat Caput, Andromachen *a Fronte*
(videbis,
Post minor est: Credas aliam.

De *Andromache*, *Ovidius.*

Omnibus Andromache *visa est spatiosior*
æquo.

Et alibi—*Quod erat longissima, nunquam*
Thebais Hectoreo nupta resedit equo.

Hinc *Bustum* meum *Andromachen* appellare soleo; & ut distinguatur a *Romana*, *Britanno-Belgicam.*

QUÆ a *Statio* & *Juvenale*, sub *Domitiano* florentibus, citantur, a Nummis egregie confirmantur; qui, ut hæc Capitum ornamenta, priscis minime contenta modis, in altum creverint; ut in eo statum & ἀκμὴν habuerint; ut denique resederint, docent apertissime. In Nummo *Antoniæ Aug.* Aviæ *Drusi* & *Caligulæ*, Capillis in

Fronte ejusque tegumento nihil depressius. De *Agrippina*, Matre *Caii* Cæs. idem fere dicendum. *Poppæa Neronis* Uxor primum apud *Romanos*, & secundum illam *Julia* Aug. *Titi* Filia, crinem habuit aliquantulum sese extollentem : In Capite *Domitiæ* Aug. Uxoris *Domitiani* Imp. idem observandum. Vide ejus Figuram, apud *Leonardum Augustinum*, ad Gemmas Antiquas; Fig. 160. Ed. *Gronoviana*. *Plotina* & *Matidia* (quarum altera *Trajani* Uxor, altera ex Sorore Neptis) celsiorem habet utraque Frontis honorem, elatum scil. & in Turrim exstructum. Vide *Plotinæ* Faciem, in ejus Nummo Tab. XV. Fig. III. sculptam. Sub *Adriano* mos ille deferbuit: Nam in *Sabinæ* Aug. Uxoris ejus Nummo, altitudo media est, in Divæ *Faustinæ*, quæ sub *Antonino* Philosopho vixit, nulla : sic, ut etiam in aliis omnibus quibuscunque ad *Helenam* usque. Vide Suggestuum horum apud *Romanos*, Incrementum, Statum, & Declinationem : Diebus hisce nostris apud nos repullulavit iste mos, (ut est omnium pæne rerum perpetua fere vicissitudo renovatioque) quem omnino perridiculum, magnopere perstrinxit rari vir ingenii, *Rich. Steele*, Eques Auratus, &

—Diram contudit Hydram.

& Numismatibus.

§.

§. VI.

EX iis, quæ ſupra ex Poetis & Numiſmatibus hauriuntur, in promptu eſt opinari, ſub *Domitiano*, *Nerva*, *Trajanoque*, Capitum hæc ornamenta in altitudinis ſtatu fuiſſe. Hoc iſtorum temporum Poetæ, *Statius* & *Juvenalis*, evidentiſſime probant; hoc confirmant Nummi, ex unis Tabulis *Gevartianis* ſumti: Concludimus ergo, ſub hoc tempus ſculptum id fuiſſe *Buſti*, & quidem, uti veriſimile eſt, *Agricola* rebus *Britannicis* jam præpoſito; cujus in exercitu pro certo habendum, tum qui *Romanos* veſtiendi modos apprime callerent, tum qui Sculptura eos exprimere poſſent, non defuiſſe. Huc ſpectat, quod a *Tacito*, qui Socerum hac expeditione comitavit, traditum eſt in ejus vita, jam tum, anno Expeditionis tertio (qui fuit A. D. 81.) Principum *Britannicorum* filios liberalibus artibus erudiri: [*Inde*, inquit, *habitus noſtri honor, & frequens Toga, paullatimque diſceſſum ad delinimenta vitiorum, Porticus, & Balnea.*]

Buſtum hoc cum ſculptum, A. D. 81

§.

§. VII.

Ante hunc annum in honore fuisse

LONGIOR in hac re iccirco fui, quoniam *Bustum* hoc consideranti mihi visum est, ab eo, de *Aquarum Calidarum* Urbis antiquitate, melius certiusque ferri posse judicium, quam ab argumentis vulgo ad eam rem confirmandam adhibitis. Certe, qui *Solinum* hac in causa citant, tamquam de Aquis hisce verba primum facientem, tota errant via: *Solinus* enim non modo diu post *Alexandrum Mamææ* vixit (quod doctissimus [1] *Salmasius* ostendit) sed & post *Ammianum Marcellinum*, qui sub *Theodosio Magno* vixit, opinante non sine ratione *Claudio* [2] *Chifletio*. *Antonini* & *Ptolemæi* plane sunt immemores hi vaniloqui; quorum ille, non alius quam *Caracalla* (secundum Itinerarii Editorem doctissimum, illustratorem felicissimum *Tho. Gale*um) *Aquas Solis* habet Itinere XIV; *Ptolemæus*, qui sub *M. Aurelio Antonino* floruit, (Autore *Suida*) & *Antonino Pio* fuit superstes, habet τὰ θερμὰ: At his utrisque multis annis senior fuit *An-*

Aquas Calidas, verisimile est.

---

1 *Vide illius Prolegomena in* Solinum. 2 *De Vita* Ammiani Marcellini, *ab* Jac. Gronovio *Edita* Lugd. Bat. MDCXCIII.

Andromache noſtra. *Agricola* poſt adventum in *Britanniam*, (fuit ille A. D. 79.) annos aliquot cis *Tuedam* egit, duos ſcil. cum ſemiſſe; *Sparſis* (ut ait *Tacitus*) *per provinciam Numeris*. Eo temporis ſpatio, ſicuti videtur, vel ab *Agricola*, vel iſtius exercitus aliquo, poſitum hocce Buſtum eſt. Ab eo tempore, ad *Antonini Pii* mortem (qui fuit A. D. 160) anni ſunt 78: quod utique tempus, Urbis hujus antiquitati, ſupra quam *Antoninus*, (ut de *Solino* nihil dicam) ſupra quam *Ptolemæus*, impertivit *Andromache*. Siquis haſce *difficiles nugas*, [*de mulierum ornatu*] judicaverit, cogitet omnino velim, quod *hæ nugæ in ſeria ducant*, & nobiliſſimæ Urbis antiquitatem luculenter exponant. Hæc de *Belgio* noſtro in præſenti.

Annos enim Aquis Calidis *impertit* 78.

RESTANT alia duo præclara admodum Monumenta; quorum alterum *Equeſtris Statuæ*, cum *Parma* & *Haſta Pura*, Fragmentum eſt; alterum *Julii Vitalis* Epitaphium habet: de quibus in Voluminibus II, & III, copioſe.

Δόξα πᾶ ἐν ὑψίστοις Θεῷ.

TABULARUM

Et in iis

FIGURARUM

Dispositio.

Abula Prima *Belgii* Geographica est, locos in eo omnes, quorum Nomina occurrunt, antiquos, nonnullos etiam recentiores exprimens, in Libri initio.

Tab. II. Fig. 1. *Decurionem e* Glevo *exhibet, ad Pag.* 69.

Fig. 2, 3, 4. Literas quasdam perobscuras.

Fig. 5. Inscriptionem quæ *Successæ Petroniæ* est.

Fig. 6. Aliam, quæ *Marci Valerii.*

Fig. 7. Aliam, quæ *C. Murrii.*

Tab.

Tab. III, Fig. 1. & sequentibus, Monumenta a Clarissimo *Guidoto*, Thermiatro collecta, denuo repræsentantur. *pag.* 71, 72.

Proximæ sex *Tabb.* sunt *Penatium*, quorum quinque *Venus*, *Jupiter Ammon*, *Neptunus*, *Hercules*, *Vulcanus*, *Tab.* IV, post *pag.* 125.

Tab. V, Tres habet, *Bacchum*, Deum quendam ignotum, & *Pallada*; *pag.* 132, 3.

Tab. VI, Duas, *Virginem Vestalem Maximam*, & *Mercurium*. *pag.* 133, 4.

Tab. VII, *Lupam*, cum *Romulo* & *Remo*. *pag.* 136.

Tab. VIII, Ignotum alterum, & *Apin*. *pag.* 137.

Tab. IX, *Anubin*, *Bucephalum*, *Bacchum* alium, eumque formosissimum, & *Bustum*, *pag.* 139, & in seqq.

Tab. X, *Camaletum* ostendit, post *pag.* 172.

Tabulæ XI, ad *pag.* 195 referendæ, Fig. 1 & 2 repræsentant *Arcam Lapideam*.
Fig. 3, *Seriam*.
Fig. 4, *Arivogi* (vulgo *Arviragi*) nummum, de quo *pag.* 55.

Tab. XII, quæ ad Paginam est 206, *Munimentum* exhibet *sepulchrale*; de quo in Capite XVIII.

Tab. XIII, ad Paginam 187, Fig. 1, *Claudianam* habet Inscriptionem, in *Belgio*, duobus ante sæculis, effossam.

Fig. 2, *Claudii* Nummum habet cum Epigraphe *Spes Augusta.*

Fig. 3, Nummum ejus alium cum *Britannia.*

Tab. XIV, Fig. 1, Urnam exhibet majorem.

Fig. 2, Minorem.

Fig. 3. Herbam *Isitida* dictam, *Melæ Pliniique* Glastum, Nostrorum hominum *Woad.*

Tab. XV, Fig. 1, 2, *Bustum* habet *Britanno-Belgicum.*

Fig. 3, *Plotinæ* Faciem.

N. B. Caput Leoninum, quod Insigni, in hac *Tab.* Gentilitio superponitur, Corona cinctum est; sic, ut in *Tab.* II, Vol. II debuerat; sed incuria, nescio qua, omissum est.

Elen-

Elenchus Rerum.

PROŒMIUM, de *Britannia* quondam pœne Insula.

CAP. I.

De *Belgii* nostri *Limitibus*.

INtroductio. *Pag.* 1
Limites *primo breviter delineati*, 2
Secundo loco fusius. 3
Tabulæ veteris Belgii *corriguntur*. *ib.*
Exmore *in Comitatu* Somerset. 4
De Patria Cangorum. *Eos in* Belgio *habitasse*, 5
Quæ argumententur; 6
Et ad ea quæ respondeant, *ib.*

Et Verba, 7
Et Facta. *ib.*
His consentit Ptolemæus. 10
Cangorum *patria circa* Devæ *Ostium*, *ib.*
Quod patet Inscriptionibus. 11
Quo anno Illi ab Agricola *superati*, 12
Belgii *oram maritimam*, 13
In Meridie, *coluere* Belgæ, 14
Quod ex Ptolemæo *liquet*. 15

CAP. II.

De *Belgii* nostri *Fluviis*.

DE *Fluvio* Sabrina. 16
De Trajectu. 17
De Uzella. 18
De Fluvio Tona, *ubi oritur*. *ib.*
Comb *quid significet*. 19
Romanos *stationem habuisse apud* Wilscomb, 20
Ostendunt Nummi ibi inventi. 21
Quo tempore disiit usus Romanæ *apud nos Pecuniæ*. *ib.*
Tona *adluitur Regio fertilissima : in qua* Athelney. 22
De Ivello *Fluvio*. 23
De Cado *Fluvio*. 24
De Bryo *Fluvio*. *ib.*

Nomen

Nomen ουέξαλα *datum a* J. Frontini *militibus.* 25
De Axa *Fluvio.* 26
Ptolemæi *Error.* 27
De Avona *Fluvio.* *ib.*
Taciti *Emendatio,* 29
Ptolemæi Τεισάντης. *ib.*
Alauna, *ſive* Avona *altera.* 30

CAP. III.

De *Belgii Diviſionibus.*

BELGII *pars a* Segontiacis *olim habitata:* 32
Illius alia pars Inſularis. 33
Unde Severia *dicta ſit, ambigitur.* 34
Belgium *pæne omne in* Britannia *ſecunda.* 35

CAP. IV.

De *Belgii* noſtri *Urbibus.*

URbes in Britannia *quales ante* J. Cæſaris *adventum;* 36
Ex Romanorum *Caſtris Urbes,* 37
Quarum in Belgio *numerus cenſetur.* 38

Brige

Brige *reficit itinerantes.* 39
Clauſentum. 40
Regnum *vetus.* 41
Vindomis Segontiacorum *Metropolis : (qui* Belgis *acceſſere :)* 42
Præclara fuit hæc Urbs. 43
Cunetio. 44
Verlucio. 45
Ισχαλις. 46
Veteres Britanni *neque* Caſeum, *ib.*
Neq; Butyrum *habuere.* 47
Hoc iis forte commendavit Largus. 48
Iſchalis *origo.* *ib.*
Sorbiodunum, *unde ſic appellatum.* 49
Venta Belgarum, *unde dicitur.* 50
Nummi in ea Romani, *Balnea, & Textrina,* 51
Beatiſſ. Wiccami *Collegium amplum.* 52
Cænobium Glaſtenburienſe *non ab* Arvirogo *fundatum.* 53
Motuum in Britannia *Civilium Auctor* Arviragus, 54
Sive rectius Arivogus, 55

CAP.

CAP. V.

De *Aquarum Calidarum* Urbe.

DE Aquis Calidis. 56
Britanni *Magiæ dediti.* 57
Romanæ *hæc Urbs originis.* 58
Claudius *Imp. Aquæductus restituit.* *ib.*
Balneis Celsus & Scribonius *utuntur.* 59
Aquas ad usum commodiores, *ib.*
Sub Claudio *Imp. primum fieri.* 60
Romani *milites huc otiosi confluxerunt.* 61
Unde Taciti *de* Aquis *his silentium.* 62
Cujus ætatis, Andromache *sit* Britanno-Belgica, *ib.*
Et Templum Minervæ *consecratum.* *ib.*
Decurio octogenarius huc accedit. 63
Quo tempore Fabrica ibi erecta. 64
Geta Aquas Calidas *restituit, auxit.* 65
Quo tempore hæ Aquæ Solis *primum appellarentur.* 66
Militiæ Romanæ *lauta vivendi ratio sub finem Imperii,* *ib.*
Præcipue in hac Regione, 67

CAP.

CAP. VI.

De *Romanis Aquarum Calidarum Monumentis.*

Tabulæ II. *Explicatio.* 68
Decuriones qui. 69
Inscriptio Successæ Patroniæ. *ib.*
Marci Valerii, 70
Caii Murrii. 71
Tab. III. *Explicatio.* *ib.*
Monumenta nonnulla jam diu desiderantur. 72

CAP. VII.

De *Viis*, in *Belgio*, *Militaribus.*

ROmanorum *Monumenta in* Belgio *celebratissima sunt Viæ Militares*; 73
Quæ recensentur, cum earum continuationibus, 74
Ad Totonesium *usque:* 75
Unde in Cornubia *dicatur exordiri hæc via.* *ib.*
Ad Aquas Solis *ab omni regione concurritur.* 76
Urbium inter se Distantiæ, 77

De

De Viis *hisce adnotanda,* 79
Hæ viæ sæpe a rectitudine deflectunt. 80

CAP. VIII.

De *Insulis*, *Belgio* nostro adjacentibus.

LElandi *de* Insulis Britannicis *scriptura.* 81
Vecta *Græcis non ignota.* *ib.*
Nominis Derivatio. 82
Melæ *Correctio.* 83
Allecti *Classis sub* Vectam *Ins. subducitur.* 84
De Insula Barry. *ib.*
Comitis ab ea Nominati Honos. 85
Steep & Flat-Holmes. 86
Gildas *huc commigravit: quanta perpessus.* 87
An hic Librum Quærulus *composuit.* 88
Danis *hæ Insulæ perfugio.* *ib.*

CAP. IX.

De *Belgii Populo.*

ALbion *olim Avium Terra.* 89
Gallos *omnium mortalium primos* Albiona *coluisse.* 90
Forte per Isthmum huc advenientes: 91
Vel certe Mari. 92
Incolæ novis e Gallia Coloniis in Boream pulsi, *ib.*
Aborigines habebantur. 93
Hæc Japeti *proles fuit,* *ib.*
Ex Euehemeri testimonio. 94
Belgæ *e* Gallia *venere,* *ib.*
Sui Juris Populus, 95
Religionem Druidum *amplectens.* 96
Romanos Belgium *mature accepit.* *ib.*
Cogidunus *iis se dedidit.* 97
Hinc Vespasiano *Honos, hinc Imperium* Romanum. *ib.*
Gavius *hac Expeditione meruit:* 98
Dona ei donata militaria. 99
Belgæ, *a* Romanis *subacti, militiæ se dant.* *ib.*
Belgæ *nostri a quibus memorentur,* 100
Quibus in rebus inserviere Romanis. *ib.*

Re-

Rerum in Britannia, 101
Sub Romanis *immutatio.* 102
Domitorum hujus Insulæ Virtutes. *ib.*

CAP. X.

De *Belgarum Lingua.*

PRima *in hac Regione Lingua,* Runica; 103
Sed Vetusta. 104
Quæ in Galliis *sensim corrupta,* Runam *in* Britanniis *postea corrupit.* 105
Post Romanorum *adventum in usu hic eorum Lingua.* *ib.*
Romani *Juris in* Britannia *consulti floruere pertissimi.* 106

CAP. XI.

De Diis Belgicis.

NUlla *Gens sine* Deo. 108
Veteris Germaniæ *Dei, veterisque* Galliæ. 109
Hinc manavit Theologia Belgica. 110
De Mercurio. *ib.*
De Apolline. 111

De Jove. 112
De Druidum *Religione*, 113
Non adhuc abolita. 115
De Fluminum cultu. *ib.*
De Avona *Dea.* 117
De Geada. *ib.*
De Minerva, *ejusque Templo* Aquis Calidis *erecto.* 119
De Hercule, 120
Ejusque Aquis Calidis *Imaginibus.* 121
Minerva & Hercules Σύμβωμοι. 122

CAP. XII.

De *Penatibus* apud *Devisas*, *Anno* 1714, *effossis.*

PEnates, 123
Ubi inventi. 124
Venus, *Regis Cyprii scortillum.* 125
A viduis culta propter alteras iis felices Nuptias. 126
Ejus Icunculæ Descriptio. *ib.*
Jupiter Ammon. 128
Neptunus. 129
Hercules. 130
Vulcanus. 131
Bacchus. 132

Pallas

Pallas. *ib.*
Virgo Vestalis Maxima. 133
Mercurius, 134
A Martiano Capella *descriptus.* 135
Lupa, Romulus, & Remus. 136
Ut hi Duo, tamquam Diis oriundi, in Patriis Hymnis celebrabantur. 137
Apis. *ib.*
Anubis. 138
Bucephalus. *ib.*
Græci Deorum honori pocula bibebant. *ib.*
Bacchus. 139
Cornu olim Honoris signum, & in S. S. & apud Autores Ethnicos. 140
Cornua in hoc Baccho *qualia subulonum.* 141
E Poetis Excerpta de Baccho *mellitissima.* 142, 3
Unde signa fierent Infamiæ. 143
Penatium usus. 144
Bustum. *ib.*
Penatibus favet Alexander Severus. 145
Quo anno terræ mandarentur. *ib.*
Christi *imaginem adoravit* Alexander S. 146
Plura de Penatibus. 147
Duo Penatium *ignoti prorsus.* 148
Penatium *Honos.* *ib.*
Eorum Potestates. 149

Ho-

Horatii *locus explicatur.* 150
Non omnes hæ Icunculæ pro Deis accipiendæ. 151
Conclusio. 152

CAP. XIII.

De *Belgarum Mercatura.*

BElgæ *primum Mercaturæ, deinde Bello magis dediti.* 153
Quæ ἐξαγώγιμα, *quæ* εἰσαγώγιμα. 154
De Pecore Britannico. 155
De Stanno, *ib.*
Quod in Dunmonio *effodi probabile est.* 156
De Ferro. *ib.*
Ferrum Glocestrense *ad usus communes optimum.* 157
De Mancipiis, *& populi multitudine.* *ib.*
De Canibus. 158
De Agasæis, 159
Præcipue Belgicis. *ib.*
Canum in Bello usus. 160
De Gemmis. *ib.*
Isaaci Vossii *redargutio.* 161
De Calce, 162
Ara Deæ Nehalenniæ. 163

De

De Gagate, 164
Ejusque Viribus. 165
De Bascauda, 166
Romam *e* Belgio *missa.* 167
De Sale. 168
Εισαγώγιμα. 169
E Continente quatuor in Britanniam *Trajectus.* *ib.*
Prima, Mercium permutatione, Mercatura. 170
Romani *Vett. ære appenso, non numerato, debita solvebant.* *ib.*
Sub imperio Rom. *Nummus omnis* Cæsaris *imagine notabatur.* 171

CAP. XIV.

De *Romanis* in *Belgio, Æstivis*; præcipue, de *Camaleto.*

ÆStiva *in* Belgio *permulta:* 172
Quorum multa ab Aubreio *descripta.* 173
Camaleti *Descriptio.* *ib.*
Romana *hæc fuisse Castra, minime dubitandum.* 175
Quanta eorum Area, quis usus: 176
Multæ de Camaleto *Fabulæ.* 177

CAP.

CAP. XV.

De *Colore Belgico.*

PRopertius *citatur.* 178
Cæsaris [Vitrum] *quid significet.* 179
Glastum unde derivatur. *ib.*
Propertius *illustratur.* 180
τὸ Belgicus *absolute positum.* *ib.*

CAP. XVI.

De *Claudii Tropæo,* propter *Ogonem eruto.*

INscriptio *omnium, quæ in* Britanniis *inventæ sunt, antiquissima,* 181
Quo tempore posita. 182
Nummi Camdeniani *Error.* 183
De eo dubii, *ib.*
Solutio. 184
Consulatus annum multis inde post Annis citari, *ib.*
Quod Inscriptione probatur. 185
Doctiss. Savilii *Fastorum emendatio.* *ib.*
Numeri IX. *vetus scribendi mos.* 186
Plumbum, in quo Inscriptio, *ib.*

Fodinis

Fodinis Mendippensibus *effossum, earum antiquitatem ostendit.* 186
Columnæ Plumbum adfigitur. 187
Nummi duo Claudiani *ex* Gevartio. 188
Ogonis Antri Notitia Romanorum, *ib.*
Et Clementis *fortasse* Alexandrini : 189
Cui non absimilis Melæ *specus Coryceus.* 190

CAP. XVII.

De *Urnis*, *Seria*, Rebusque aliis in *Belgio* dudum inventis.

URna minor, major, in Sepulcreto Julii Vit. *effossæ.* 192
Seriæ *Descriptio.* 193
Ad Vinum condendum usus. 194
Urna ansata. *ib.*

CAP. XVIII.

De *Arca Lapidea*, & de *Munimento Sepulcrali.*

ARcarum *ab antiquo usus.* 195
Arca *interdum Feretrum,* *ib.*
Nunc Monumentum, 196

Nunc Cavernam, Anglice a Grave, 197
Nunc Capsam indicat, Auctore 198
Non uno. 199
Arcæ *synonyma.* *ib.*
In locum commodiorem Arcam, *urgente gravi causa, licuit transferre.* 200
Xiphilini Λάρναξ. *ib.*
Arturii *Regis ex Alno Cista.* 201
Ex Metallis Arcæ. *ib.*
Corpus ab alienæ mistura materiæ liberum, conservat Arca. 202
Arcæ *Lapideæ, ad* Aquas Calidas 203
Effossæ, dimensiones. 204
Pronum in ea Corpus. *ib.*
Urnæ *etiam pronæ sunt effossæ.* 205
Arcella *ib.*
Cum in ea contentis. 206
Arca Guilh. Rufi, & Lhewelini *ap* Jorweth. *ib.*

De *Munimento Sepulcrali.*

Monumenti delineatio e Belgio *missa.* *ib.*
Ejus Descriptio. 207
De hoc Monumento Fabulæ. 208

CAP.

CAP. XIX.

De *Andromache Britanno-Belgica.*

MOnumentum *hoc ad* Aquas Calidas *effossum.* 212
Imaginum usus. 213
Faciei Virtus, *ib.*
Et Potestas. 214
Faciei variatio quotuplex & quanta. Partium ejus 215
Quæ Virtutes. 216
Busti Bathoniensis *descriptio,* 217
Et usus. 218
Romanorum Andromaches, *ib.*
Descriptio ex Poetis, 219
Et Numismatibus. 220
Bustum hoc, A. D. *circiter* 81, *sculptum.* 221
Ante hunc Annum in honore fuisse Aquas Calidas. 222
Annos hoc Bustum Aquis Calidis *impertit* LXXVIII. 223

E R-

ERRATA.

PAG 38, in Margine lege *Quarum*. Pag. 67, l. 8, lege *Mamææ*. Pag. 105, Marginis l. 5. lege *Runam*. Pag. 151, l. penult. lege Κειμήλια. Pag. 176, Margine l. 2, lege *eorum*. Pag. 179, l. 9, lege Ισάπδα, & l. penult. *Isatide* : Sic, ut etiam in *Elencho Rerum*. Pag. 188, l. 1, pro *in* lege *e*. Pag. 193, l. 16, lege *quod*
Tab. XI, *Figura*.

In Vol. II, de *Geta Britannico*, Notarum linea 3, lege *collegit*.

Libri ad eodem Auctore de Antiquitatibus hisce, jampridem editi.

De JULII VITALIS Epitaphio. MDCCX.

De GETA BRITANNICO. MDCCXV.